Herrn Prof. Dr. Vahlen
hochachtungsvoll
d. Verf.

DE IOANNIS ANTIOCHENI AETATE FONTIBVS AVCTORITATE

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVI. MENSIS OCTOBRIS A. MDCCCLXXI

HORA XI

PVBLICE DEFENDET

ADOLFVS KOECHER

HALBERSTADENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

KAROLVS RVEBEL GVESTPHALVS

GEORGIVS KAIBEL LVBECENSIS

IOANNES FROITZHEIM RHENANVS.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI

MDCCCLXXI.

ARNOLDO SCHAEFER

ET

HENRICO DE SYBEL

S.

Ioannis Antiocheni historiam chronicam primus Salmasius ab oblivione vindicavit atque pauca passim ex ea exercepta in lucem protulit [1]) codice usus eo, cuius apographum ipsius manu exaratum Parisiis exstat [2]). Deinde H. Valesius e codice Turonensi [3]), tum Cramerus e codicibus Parisiensibus [4]) continuas fragmentorum series excusserunt. Denique C. Muellerus omnia quae ad id tempus edita erant fragmenta in unum opus collecta atque e codice Parisino 1630 aucta secundum temporum, ad quae pertinent, ordinem digessit et annotationibus illustravit [5]). Nuper I. Wollenbergius excerpta Valesiana ad cod. Turon. denuo contulit atque emendavit [6]). Inedita restant ea fragmenta, quae codicibus Neapolitano, Vaticano et Escurialensi insunt. Ac de Neapolitanis fragmentis nihil mihi constat nisi quod inscribuntur: I. A. *ἀρχαιολογία ἔχουσα διασάφησιν τῶν μυθευομένων* [7]). Descriptionem codicis Vaticani 96 a Krusio factam singularis humanitas ac benevolentia Arnoldi Schaeferi, praeceptoris carissimi, mecum communicavit: Continetur *ἀρχαιλογία* Ioannis foliis eius codicis 99—102, 106—111, 103 hunc in ordinem

---

[1] Scriptores historiae Augustae Paris 1620, p. 51, 89, 135, 291, 360, 463, 482; Plinianae exercitatt. in Solinum (Paris 1629) Traiecti ad Rhen. 1689, p. 100, 407, 634, 637, 647, 772, 872. [2] Cramer, anecdota Graeca e codd. mss. biblioth. reg. Paris. II. Oxonii 1839, p. 383. [3] Excerpta ex collectaneis Constantini Augusti Porphyrogenetae, Paris. 1634. [4] anecdota Gr. Paris. II, p. 1 sqq. 379, 383 sqq.

[5] Fragmenta historicorum Graecorum IV, p. 535. Cito frgma Ioannis secundum eos numeros, quos Muellerus iis adscripsit.

[6] Excerpta ex Ioanne Antiocheno, programme du collège royal français, Berlin 1861. [7] Bachmann praefat. ad Lycophron. Alexandram p. XX.

redigendis. Fol. 111 in rebus Iuliani desinit, fol. 103 a Ioviano incipit. Inde a fol. 103b inf. usque ad 105 et a 112—114 sequuntur excerpta ex Agathia, inter quae ea quoque de rebus Iustiniani fragmenta occurrunt, quae Alemannus [1]) falso, ut videtur, foliorum ordine deceptus Ioanni vindicavit. Quamquam propter lectionum varietates, quae inter Vaticana et Alemanniana fragmenta intercedunt, dubitari potest, num Alemannus hoc codice usus sit: fr. 218 V. *μὴ* — A *μηδὲ*, *ἐντε Λαζικῇ* — *ἐν τῇ Λ*, *Ἰσπανία* — *Ἰταλια*; fr. 217 V. *Ἰουστινιανός* om., *ἵνα αὐτὸς μὲν* — *ἵνα τοὺς μὲν*, *μήτε ὀχλεῖται* — *μητ'*, *αἴτιον* — *αἰτία*, *σποίδασαν οὖν δεῖξαι ὅτι* — *δεῖξαι* om., *καὶ λαβὲ καὶ τὰ* — *καὶ λαβὲ τὰ*, *ποιήσεις* — *ποιήσῃς*, *ὅτι ἐκεῖνος ἐστίν* — *ἐκεῖνος* om., *καὶ πάντως καὶ ἡμεῖς* — *καὶ πάντως ἡμεῖς*. Cod. Pal. 93 ex cod. Vatic. 96 ita derivatus est, ut notitiarum margini illius adscriptarum de recto foliorum ordine ratio habita sit. Codice Escurialensi cum alia tum Constantiniana *περὶ ἐπιβουλῶν* excerpta ex Ioanne Antiocheno contineri Federus [2]) auctor est, qui postquam codicem in universum descripsit, de fragmentis Ioannis haec subiicit: »quo in excerpto Parisiensis codex indeque Crameri editio (p. 86) trunco desinit, id in Escurialensi XIII[um] ab ultimo ita exit: *καὶ ὁ Τροκούνδου ὑπασπιστὴς Ἀρτεμίδωρος*; proximum ita incipit: *ὅτι Θεοδόριχος καὶ Ὀδόακρος συνθήκας καὶ ξυμβάσεις ἐποιήσαντο πρὸς ἀλλήλους, ἄμφω ἡγεῖσθαι τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς*. E reliquis undecim prima quattuor Anastasium habent imperatorem, singula deinde Iustinianum et Iustinum II, tria Mauricium, postrema duo Phocam.« De eorum codicum, qui editi sunt, indole ac natura supervacaneum est repetere quae viri docti scripserunt. Neque tamen silentio praeteream, in omnibus libris mss. non integrum Ioannis opus exstare, sed eclogas tantum diversis consiliis factas maximamque partem ad collectanea Constantini Porphyrogeneti pertinentes. Qua-

---

[1] ad Procop. hist. arcan. p. 454, 400 ed. Bonn. = Müller, frgma Ioannis 218, 217 (hoc ordine in codice se subsequuntur). [2] Excerpta e Polybio, Diodoro, Dionysio Hal. atque Nicolao Damasceno e codice Escurial. edit. Darmstadii 1855, p. V.

rum quanta sit tenuitas, siquis sibi ante oculos proposuerit memineritque nondum omnes, quae supersunt, editas esse, spero veniam mihi fore, quod quaestio mea utpote ex fragmentis instituta hic illic lubrica esse videatur. Quaerendum mihi enim est de Ioanne Antiocheno, quando historias scripserit, quibus auctoribus usus sit, denique quid ad cognitionem rerum saeculo quinto potissimum aerae nostrae gestarum conferat.

I.

Ac primum quidem Ioannes noster ab Ioanne rhetore, cuius historias Euagrius (hist. eccles. I, 16; II, 12; III, 10, 28; IV, 5) saepius commemorat, discernendus est. Nam illum quoque Antiochenum fuisse Valesius (ad Euagr. I, 16) probabiliter inde collegit, quod omnia quae ex illo apud Euagrium afferuntur, ad res Antiochiae spectant. At nihil harum rerum apud nostrum legitur. Deduxitque historias suas ille non ultra septimum vel octavum Iustini I annum (525, 526),[1]) noster usque ad imperatorem Phocam (602—610). Toto igitur saeculo hi duo Ioannes Antiocheni inter se distant neque in unum confundi possunt, nisi forte Pallmanni[2]) exemplum secutus omnia quae apud nostrum de rebus post a. 526 gestis leguntur, subditicia esse credideris. Sane illud quidem scribarum errore accidit, ut ea quae Dionysii Halic. sunt, nostro vindicarentur[3]) et iis quae nostri sunt, Ioannis Malalae nomen subscriberetur[4]). Sed propter id solum omnes omnium librorum mss. auctoritates pro nihilo habere et sine aliqua alia ratione omnia de rebus post a. 526 gestis fragmenta Ioanni Antiocheno abiudicare levissimum est. Iam vero hariolatus esse Pallmannus[5]) videtur nostrum

---

[1] Valesius et Euagr. IV, 5; Mueller FHG IV, p. 537; Clinton, fasti Romani ad a. 526. [2] Geschichte der Völkerwanderung II, p. 268. [3] E. Gros ad Dion. vol. I, p. XLVII. [4] Mueller FHG IV, p. 535. [5] libro laud. p. 270.

cum illo Ioanne, qui circa a. 476 episcopus Antiochiae fuit[1]), eundem esse statuens. Itaque ad id revertendum est, quod Gothofredus[2]), Muellerus[3]), A. de Gutschmid[4]) eo fragmento nisi, in quo cod. Turon. claudit, de aetate Ioannis statuerunt. Etenim cum hoc fragmentum (219) ad res imperatoris Phocae pertineat cumque verisimile sit et auctorem historias usque ad sua ipsius tempora deduxisse et excerptorem non longe a fine operis substitisse, Ioannes medio fere saeculo septimo atque adeo sub imperatore Heraclio vixisse putandus est. Hanc autem argumentationem ea mihi re confirmare videor, quod etiam Escurialensia Ioannis fragmenta usque ad Phocam pertinere apud Federum invenio (v. supra). Duorum igitur codicum, qui non ex se pendeant, concentu historias Ioannis in Phocae imperio substitisse procul dubio constat. Quare cum eorum, qui chronica conscripserunt, moris sit, ut res inde ab origine mundi usque ad suam aetatem complectantur, numquid probabilius est quam Ioannem paulo post Phocam (602—610) chronicon suum conscripsisse? Quamquam sunt, quae contra hanc sententiam repugnare videantur. Etenim Tzetzes (Chil. III, 23) eos, qui de Pharo turri a Cleopatra exstructa scripserunt, recenset hoc ordine:

Μέμνηται μὲν Βιργίλιος ταίτης τῆς Κλεοπάτρας,
Λουκιανὸς καὶ Γαληνὸς καὶ Πλουταρχὸς σὺν τούτοις,
Διόδωρος, Γεώργιος ὁ χρονικὸς σὺν ἄλλοις
Καὶ Ἰωάννης μετ' αὐτοὺς Ἀντιοχεύς ὑστέρως

Quo ex loco Hodius[5]) Ioannem Antiochenum post Georgium Syncellum (circa a. 792) floruisse collegit. Recte id quidem contra Vossium[6]) statuit, hoc loco non Ioannem Malalam ipsum quoque Antiochenum sed nostrum a Tzetze esse laudatum. Nam illum et eclogarii Constantiniani et Tzetzes unico loco, ubi eius mentionem facit (Chil. V, 832),

---

[1] Clinton II, p. 553. [2] Prolegomena in Philostorgium p. 2. [3] FHG IV, p. 536. [4] Die Grenze zwischen Alterthum und Mittelalter. Grenzboten 1869. I, p. 330 sqq. [5] Prolegomena ad Ioannem Malalam p. XXVI ed. Bonn. [6] de historicis Graecis, Lugd. Bat. 1651, p. 380.

cognomento Malalae expresse a nostro distinguunt, qui ubique quasi *κατ' ἐξοχὴν* Antiochenus nominatur. Verum plane in dubio est, quemnam Georgium chronographum Tzetzes hoc loco intellexerit. Georgium Hamartolum, qui multo post imperatorem Constantinum Porphyrog. vixit, aut non intellexit aut perperam Ioanne Antiocheno, cuius opus Constantinus excerpendum curavit, iuniorem esse dixit Quae vero Georgius Syncellus (p. 516 ed. Bonn.) de Pharo turri habet, mirum quantum a Tzetzis narratiuncula distant, ita ut hic de illo aut non cogitaverit aut aeque hariolatus sit atque de Virgilio ceterisque quos laudat auctoribus. Itaque ex Tzetzis versibus plenis temeritatis nihil de aetate Ioannis colligitur. Neque quidquam iis tribuendum est, quae apud Georgium Codinum (de aedif. Const. p. 113 ed. Bonn.) et Michaelem Apostolium leguntur: Codinus: *περὶ δὲ τοῦ Βοσπορίου ἐπωνυμίας ταῦτα φησὶν Ἰωάννης ὁ Ἀντιοχεὺς, ὅτι εἰς τὸ σιγματοειδὲς τοῦ τείχους εἶχον ἔθος πωλεῖν τοὺς βόας (ὃ καὶ ἐκράτει μέχρι τοῦ Κοπρωνύμου), εἷς δέ ποτε βοῦς οἰστρηλατήσας εἰςῆλθε τὴν θάλασσαν καὶ ἐπέρασεν εἰς Χρυσόπολιν καὶ διὰ τοῦτο ἐκλήθη Βοσπόριον.* — Apostolius[1]): *ὅτι τό Βοσπόριον, καθώς φησιν Ἰωάννης ὁ Ἀντιοχεὺς, ὅτε Βύζας ἔκτισε τὸ Βυζάντιον, βοῦν ἀπέστειλεν ἀπὸ τοῦ προσφορίου καὶ ἀπῆλθεν εἰς Χρυσόπολιν καὶ οὕτως ἐκλήθη Βοσπόριον. Ἐκεῖ δὲ ἐπωλοῦντο οἱ βόες καὶ εἰς τὸ σιγματοειδὲς τεῖχος μέχρι τοῦ Κοπρωνύμου. Ἐκεῖνος ὥρισεν εἰς τὸν Ταῦρον πωλεῖσθαι.* Profecto, si uterque omnia, quae habet, ex Ioannis chronico sumpsisset neque aliunde quidquam adiunxisset, Ioannes post Constantinum V Copronymum (741—755) vixisse esset putandus. Sed non omnia uno ex fonte fluxerunt. Nam ab altero nomen Bosporii freti inde repetitur,

---

[1] hunc locum, quem Muellerus ad Ioann. Ant. fr. 171 a ex codice Parisino 3058 exprompsit, Michaeli Apostolio vindicavi, quippe cuius opus, quod inscribitur *ἰωνία*, hoc codice contineatur complectens I° paroemias ordine alphabetico dispositas II° sententias, historias et apophthegmata singulis litteris subiecta collectaque partim e veterum partim e recentiorum scriptt. monumentis (Catalog. biblioth. regiae Paris. II, no. 3058).

quod olim bos oestri ictu agitatus illud fretum traiecerit, ab altero inde quod olim Byzas bovem *ἀπὸ τοῦ προσφορίου* trans illud fretum propulerit. Has duas inter se diversas esse fabulas quis est quin videat? [1]) Unde cum appareat, alterutrum sua non ex uno sed ex diversis scriniis compilasse, iure dubitari potest, num Copronymi mentio, quamvis apud utrumque fiat, ex Ioanne hausta sit, praesertim cum ea apud Michaelem ab Ioannis testimonio plane separata, apud Codinum verbis Ioannis ita inserta sit, ut speciem sententiae aliunde intertextae prae se ferat. Itaque ex his quoque locis nihil efficitur ad Ioannem in posteriora tempora reiiciendum. Restat quaestio, utrum noster ante Ioannem Malalam an post eum vixerit. Nam cum codice Oxoniensi, ex quo uno Hodius et Dindorfius Malalae chronicon ediderunt, in fine mutilato incertum reddatur, utrum Malalas chronicon suum usque ad Iustinianum, in quo codex ille subsistit, an ulterius deduxerit, de aetate eius controversiae exstiterunt: Sed Hodium [2]), cum Malalam ad saeculum nonum deprimeret, hariolatum esse Reiskius [3]) et Dindorfius [4]) demonstraverunt statueruntque Malalam brevi post Iustinianum scripsisse [5]). Atque haec sententia eo confirmatur, quod etiam Escurialensia e Malala excerpta, quamquam paulo inferius quam

---

[1] Consentiunt veteres Bosporum a bovis meatu nomen traxisse. in controversia ponunt, quaenam illa bos fuerit et ubi traiecerit. Codinus bovem oestri ictu agitatam esse scribens cogitat de Iu, Inachi filia, in bovis speciem mutata. Apostolius de alia bove cogitat, quia Byzam, Ius filium, commemorat. Codinus bovem a muro circulari, Apostolius eam a portu Constantinopolitano, qui appellabatur *προςφόριον* sive bosporium, profectam esse scribit. Ambo confundunt Bosporum fretum cum Bosporio portu. Sed Apostolius referens Bosporium inde denominatum esse, quod bos a Bosporio traiecerit, inepta dicit. Cfr. annotatt. Gyllii et Muelleri ad Dionysium Byzantinum, Geographi Graeci minores ed. Mueller II, p. 7. 8. [2] Proleg. ad Malal. p. XXXVIII sqq. ed. Bonn. [3] commentar. ad Constantin. Porphyrogenit. II, p. 855 ed. Bonn. [4] praefat. ad Malalam ed. Bonn. p. V sqq. [5] idem statuerunt, Gibbon, history of the decline and fall of the Roman empire, cap. XL, not. 11; Gutschmid v. supra p. 4 not. 4.

Oxoniensia descendunt, tamen Iustiniani regnum non egrediuntur [1]). Quare Muellero [2]) non adstipulor statuenti Malalam circa a. 700 floruisse et nostro fuisse iuniorem. Nam quod Malalas ab Ioanne Damasceno, qui circa a. 750 mortem occubuit, laudatur, inde efficitur Malalam non post a. 700 scripsisse, non efficitur eum circa hunc ipsum annum scripsisse. Quod vero Malalas e nostro sua petiisse et propterea nostro iunior fuisse dicitur, infra demonstrabimus non alterum ex altero, sed utrumque ex tertio quasi communi fonte sua hausisse. Quare etiam apud Malalam p. 58 (ed. Bonn.): *καθὼς Ἰώσηπος ἐν τῇ ἀρχαιολογίᾳ ἐξέθετο. καὶ Ἰωάννης δὲ καὶ Κύριλλος οἱ ὁσιώτατοι ἐπίσκοποι τὰ αὐτὰ εἶπον*: Ioannes noster, quamquam partim eadem habet (fr. 11, § 1), tamen non est intelligendus, praesertim cum nusquam episcopi titulo ornetur. Apud Suidam quidem (sub v. *διῆγε* = fr. 52) appellatur *Ἰωάννης Ἀντιοχείας*. Sed hac formula loquendi non semper episcopos sed etiam cives alios quoscunque designari inter viros doctos constat [3]). Neque in catalogo episcoporum Antiochiae nomen Ioannis eo tempore, quo noster vixit, occurrit [4]). Adde quod fragmentis Ioannis in codice Turon. subscriptum est: *τέλος ἱστορίας Ἰωάννου μοναχοῦ*. Ioannes igitur monachus Antiochenus sub Heraclio imperatore fuit.

II.

Constantiniana ex Ioanne excerpta inscribuntur in cod. Escurial. *ἐκ τῆς ἱστορίας*, in cod. Monac.[5]) *ἐκ τῆς χρονικῆς ἱστορίας*, in cod. Turon. *ἐκ τῆς ἱστορίας χρονικῆς ἀπὸ Ἀδάμ*. Unde *ἱστορίαν χρονικήν* verum libri titulum fuisse eo probabilius colligitur, quod tituli qui ceteris eclogis non ad Con-

---

[1] Feder, v. supra p. 2 not. 2. [2] FHG IV, p. 536. [3] v. Hodium ad Malal. p. XXXI, Dindorf. ad Mal. p. VII ed. Bonn.; Mueller FHG p. 536. [4] Ioannes primus 429—442, alter circa a. 476 (Clinton. fasti Rom. II, p. 552), tertius circa a. 1098 (Hody ad Malal. p. XXXIII). [5] in quo tamen huic inscriptioni subiiciuntur excerpta e Dionysio Hal., v. supra.

stantini collectanea pertinentibus praefiguntur, speciem amplificationis prae se ferunt, velut in codd. Salmas. et Neapolit. *ἀρχαιολογία ἔχουσα καὶ διασάφησιν τῶν μυθευομένων*, in cod. Paris. 1630 *ἀπὸ τῆς ἐκθέσεώς* l. A. *τῆς περὶ χρόνων καὶ κόσμου κτίσεως πονηθείσης, ὥς φησιν, ἀπὸ βίβλων Μωσέως κτλ.* De dispositione operis nihil constat nisi res cum ecclesiasticas tum profanas inde ab Adamo usque ad scriptoris aetatem observato temporum ordine in singulos libros esse digestas. Primo libro antiquissima tempora usque ad Abraamum et Oedipum ita describuntur, ut aequales fuisse fingantur et Hebraeorum patriarchae et ceterarum gentium di heroesque. Sed antequam quaeramus, quo ex fonte haec descriptio petita sit, omni de fontibus quaestioni firmum fundamentum substruendum esse arbitramur pervestigando, quem in modum Ioannes auctores, quibus utitur, retractare soleat. Haec autem rescribendi ratio non potest perspici nisi iis fragmentis, quorum fontes hodie quoque integri exstant. Ab his igitur initium capimus, deinceps ad ea progredimur illustranda, quae ex libris hodie aut truncatis aut deperditis fluxerunt.

Herodianus. 1. Fere omnia Ioannis fragmenta, quae ad res inde ab imperatore Commodo usque ad Gordianum II gestas pertinent, ex Herodiano hausta neque vero ad verbum transscripta sunt. Dictionem eius et dispositionem in universum aestimanti Ioannes haud ita multum immutavit. Sed adstrictae brevitati studens verborum comprehensiones plures in unam contraxit et nervos atque ornamenta orationis ita amputavit, ut eam exsanguem atque aridam reddiderit. Reperimus verba Herodiani, Byzantinorum ingenium. Id tamen nostro laudi est tribuendum, quod veritatem et iudicium in excerpendo adhibuerit. (cf. J. fr. 143 et Her. VII, 1; J. fr. 119 et Her. I, 8.)

Quamvis igitur Ioannes a verbis Herodiani non recedere studeat, tamen, cum res nonnisi gravissimas quam brevissime rescribere sibi proposuerit, hic illic fit, ut ex verbis Herodiani vix unum ac ne unum quidem retineat (cfr. Her. I, 8 et J. fr. 119 inde a verbis *δυςφόρως δὲ τοῦτο φέρουσα ἡ Λουκίλλα*; Her. I, 13 et J. fr. 119 § 5 *καὶ ὁ μὲν Κλέαν-*

δρος οὕτω τε ἤνθησεν κτλ.). Nec mirum, quod haec breviloquentia et retractio interdum claudicat (Her. V, 8 et J. fr. 139 *ἄλλως τε καί*). Quid? quod interdum Ioannes auctorem suum non modo leviter tractavit, sed etiam perverse interpretatus est?

Her. I, 10: *ὁ δὲ Κόμμοδος θύσας τε τῷ θεῷ καὶ χαριστήρια ὁμολογήσας τὴν ἑορτὴν ἐπετέλει παρέπεμπε τὴν θεὸν χαίρων. καὶ σωτήρια τοῦ βασιλέως ὁ δῆμος μετὰ τῆς ἑορτῆς ἐπανηγύριζεν.*

J. fr. 119, § 3: *Κόμμοδος δὲ τοῖς ἑαυτοῦ θεοῖς ὁμολογήσας χαριστηρίους τινὰς ὑπέρ τε τῆς σωτηρίας καὶ τῆς βασιλείας ἐπανηγύριζεν* (om. *δῆμος*).

Her. II, 12: *συνίασιν ἐς τὸ συνέδριον τῶν ὑπάτων κελευσάντων, οἳ τὰ τῆς Ῥώμης διοικεῖν εἰώθασιν, ὁπηνίκα ἂν τὰ τῆς βασιλείας μετέωρα ᾖν.*

J. fr. 126, § 4: *ἡ δὲ σύγκλητος . . . συνέδριον ποιησαμένη ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ ποτε οἱ ὕπατοι τὰ πράγματα διῴκουν* (legisse videtur *οὗ* pro *οἳ*).

Sed praeter hos duos locos nulli exstant, quibus res hoc rescribendi genere depravatas esse appareat. Disponit Ioannes res eodem fere ordine, quo Herodianus. Quamquam ipsa excerpendi natura cogitur, ut hanc illamve narrationem Herodiani additamentis ex alia eiusdem narratione petitis intertexat, quibus, si quid eorum, quae antea ut leviora omisit, iam scitu dignum sit, id suppleatur. Eiusmodi supplemento narrationem Herodiani de seditione praetorianorum contra Severum Alexandrum mota intertexuit: Her. VI, 9: *οἱ δέ τινες τὸν ἔπαρχόν τε τοῦ στρατοῦ καὶ τοὺς οἰκείους Ἀλεξάνδρου ᾔτουν πρὸς ἀναίρησιν* = J. fr. 141, § 4 . . . . . *πρὸς ἀναίρησιν* (*Παπιανὸς δὲ ἦν ὁ νομοθέτης*). Eodemque modo Herodianus, ubi Perennium filiumque eius a Commodo interfectos esse narrat, cum filium legionibus Illyricis praefectum esse paulo antea narraverit, simpliciter haec scribere potuit: I, 9 *ἦλθον γὰρ μετ' οὐ πολὺ στρατιῶται τινὲς λαθόντες τὸν τοῦ Περεννίου παῖδα* et paulo infra *ὁ Κόμμοδος . . . ἐκπέμπει πρὸς τὸν αὐτοῦ* (sc. *Περεννίου*) *παῖδα*. Contra Ioannes, cum praefecturae Illyricae mentionem antea omiserit, facere non potuit, quin illis Herodiani verbis haecce

inculcaret: fr. 119, § 2: *στρατιῶται τινὲς τῶν Ἰλλυριῶν* et paulo infra *παῖδα, ὃς ἦν ἔπαρχος τοῦ ἐν Ἰλλυριοῖς στρατοπέδου.* Levitatem in supplendo uno loco deprehendimus, ubi Herodianus (I, 9) Perennii filium a Commodo ad maiores spes excitatum esse narrat, Ioannes (fr. 119, § 2) has maiores spes ad gerendum summum magistratum pertinuisse interpretatur. Aliud est genus eorum additamentorum, quae ex Cassio Dione petita sunt. Solet enim Ioannes duobus auctoribus earundem rerum ita uti, ut narrationem alterius episodiis ex altero transscriptis interpolet. Sic (fr. 120), postquam Commodum mensibus nova vocabula imposuisse ex Herodiano (I, 14) exscripsit, ipsa vocabula ex Dione (Xiphil. LXXII, 15) subiicit. Sic ex Herodiano (I, 17) expromit decrevisse Commodum, ut cum Marcia eiusque familiares tum multi senatores vita privarentur. Dio (Xiphil. LXXII, 20) ei auctor est rumore aliquando pervulgatum esse Commodum id agere, ut senatores aliquos formis Stymphalidum avium indueret indutosque telis necaret. Ambo narrationes inter se plane non connexae ab Ioanne (fr. 121) hunc in modum consarcinantur: (*ὁ Κόμμοδος*) *γράφει, ὅσους χρὴ φονευθῆναι, ὧν πρῶτα μὲν ἦν Μαρκία, εἵποντο δὲ Λαῖτος καὶ Ἔκλεκτος, ἐπὶ δὲ τούτοις πολὺ πλῆθος τῶν τῆς συγκλήτου πρωτευόντων,* [*ὥσποτε τὰς Στυμφαλίδας ὄρνεις κατατοξεῦσαι τούτους ἐν τῷ θεάτρῳ βουλόμενος*] *τοὺς μὲν γὰρ ὡς πρεσβύτας καὶ πατρῴους φίλους αἰδούμενος ἔχειν αἰσχροῦ βίου σεμνοὺς ἐπόπτας, τῶν δὲ πλουσίων τὰς οὐσίας χαρίσασθαι βουλόμενος τοῖς μονομάχοις.* Nota illud *γὰρ* Herodiani, quod Ioannes interpolatione facta delere debuit. Nam eadem negligentia alio loco interpolato idem vocabulum *γὰρ* exstinguere omisit (fr. 120 *καθεύδων γὰρ*). Atque examinanti omnes locos, quibus narratio Herodiani additamentis Dioneis intertexta est, apparet Ioannem in interpolando et consarcinando parum scite esse versatum.

Cassius Dio.

2. Cassium Dionem Ioannes eadem ratione, qua Herodianum, tractavit studens et rerum veritati et brevitati verborum. Concidit omnia quae copiose et luculenter dicta sunt, quae vero maioris momenti ei esse videntur, ea fideliter exprimit. Neque tamen aeque ac Xiphilinus in verbis Dionis

haesitat, sed verba verborumque structuras hic illic dextre submutat (sic omittit fr. 107 Dioneum illud ἤκουσα δ' ἔγωγε, quod a Xiphilino LXVII, 15 exprimitur).

Hoc excerpendi genere narrationem Dionis passim deformatam esse nonnulli loci arguunt. Exempli causa Ioannes, postquam Caligulam prima uxore repudiata Cornelii Orestis filiam in matrimonium duxisse narravit, cum haec verba subiiceret: πολλοὺς δὲ διὰ ταῦτα συκοφαντῶν ἀναιρεῖ (Caligula), τὸ δὲ ἀληθὲς διὰ τὰς οὐσίας (fr. 82): plane detorsit narrationem Dionis (LIX, 8 — 10). Nam apud Dionem non legitur, id quod Ioannes inserto illo διὰ ταῦτα fingit, illas caedes divortio Claudii esse concitatas. Itemque antithesis, quae verbis τὸ δὲ ἀληθὲς significatur, nimium contrahendo depravata est. Gravior etiam est haec corruptela: Dio LIX, 3: (Caligula) ἐκείνην τε γὰρ (sc. τὴν τήθην) ἐπιτιμήσασάν τι αὐτῷ ἐς ἀνάγκην ἑκουσίου θανάτου κατέστησε = J. A. fr. 82 τήν τε ἑαυτοῦ τιθήνην ἐπιτιμήσας ἀνοίας ἐς ἀνάγκην ἑκουσίου θανάτου κατέστησε. Paucitate talium erratorum universa de Ioannis fide existimatio non magis potest infirmari quam ea re, quod Ioannes dispositionem rerum ad arbitrium retractavit. Undique enim ea, quae per Dionis libros sunt dispersa, carpit ac conligit, collecta ita digerit, ut inter se apta concinnaque esse videantur. Divellit, ut hoc afferam, ea quae a Dione de Neronis ineptiis et crudelitate ad temporum rationem enarrantur, divulsa eum in modum disponit, ut quasi climax rerum conformetur, qua inde a liberalibus Neronis studiis gradatim ad effrenatas eius licentias ac foeda facinora, denique ad matricidium deducamur. Iam vide, ex quibus quam dissipatis Dionis aliorumque membris haec descriptio sit consarcinata (fr. 90): ὅτι βασιλεύοντος νέου = Xiph. LXI, 4—5; ὁ δὲ λόγοις ἐσχόλαζε ex auctore aliquo Christiano; ἐπεὶ δὲ τρυφαῖς καὶ κώμαις = Eutrop. VII, 9; ἀλλὰ ταῦτα μὲν εἰ καὶ sine dubio ex Dione; τὸ δὲ πάντων αἴσχιστον = Xiph. LXI, 17; Αἰλία γοῦν Κατέλλα = Xiph. LXI, 19; ἐπετέλει δὲ ταύτας = Xiph. LXI, 21; ἀπολελοίπει γὰρ αὐτὸν haud dubie ex Dione, quamquam desiderantur apud Xiph.; conferas tamen Xiph. LXI, 5; LXIII, 17; Μουσώνιον τε καὶ Κορνοῦτον =

Xiph. LXII, 27, 29; *συγγενῶν τε φονοῖς* ex Dione; *τόν τε γὰρ Βριττανικὸν* = Xiph. LXI, 7; *καὶ τὴν ἑαυτοῦ γαμετὴν* = Xiph. LXII, 13; *καὶ ἐν νυκτὶ ἐκώμαζε* = Xiph. LXI, 9 (cfr. LXII, 15); *ἡ δὲ Ἀγριππίνη* = Xiph. LXI, 3; *ἀλλὰ ταῦτα μὲν Ἀγριππίνη* = Xiph. LXI, Zonar. III, p. 39 [1]); *ἀλλ' ὅμως καὶ μετὰ τὰς τοιαύτας πράξεις* = Xiph. LXI, 13. Huc adde perorationem huius descriptionis: *καὶ τὰς περιττὰς μιαρίας προεγράψαμεν ἐκ τῆς ἱστορίας Δίωνος, περί τε τῆς μητροκτονίας καὶ τοῦ Σπόρου τοῦ ἐρωμένου καὶ τῶν λοιπῶν.* Spori mentione docemur fragmenta nostra, quippe quae nihil de eo habeant, esse lacunosa. Ex amplis autem disertisque verbis, quibus Ioannes Dionem a se exscriptum esse testatur, haud absurde mihi videor colligere, eos auctores, qui nonnisi breviter obiterque laudantur, velut *ὡς Ἰώσηπος* (fr. 11, § 1), *καὶ ὀρθῶς γε Σαλούστιος ὁ Ῥωμαῖος συγγραφεὺς ἔφη* (fr. 68), *οἷς ὁ φιλόσοφος ἀντιλέγιον Ποσειδώνιος . . . φησίν* (fr. 72), hos dico auctores non ipsos ab Ioanne esse adhibitos. Immo vero laudes eorum aliunde exscripsisse putandus est. Sed quid plura de fontium tractatione Ioannis propria. Iam illud est perspicuum fragmenta eius non sine aliquo fructu esse ad deperditos Dionis libros restituendos. Afferam pauca sine dubio ex Dione petita, quae apud Xiphilinum et Zonaram desiderantur. Huc pertinent in fragmento supra perlustrato (90) verba *ἀπολελοίποι γὰρ αὐτὸν . . . μισῶν τε καὶ κολάζων* et nonnulla eorum, quae de Aelia Catella enarrantur, et Horatiorum mentio in enumeratione earum gentium, quae a Nerone in theatro prostitutae esse dicuntur. Neque frustra noster (fr. 84) ad Xiphilinum adhibebitur in explenda ea lacuna, quae inter Dionis libros exeuntem 59um et ineuntem 60um in cod. Veneto hiat. Itemque haud spernenda ad Xiphilinum et Zonaram additamenta praebet de caede Claudii (fr. 89 = Xiph. LX, 34—35 = Zonar. III, p. 36), de rebellione Iulii Vindicis et Galbae atque de exitu Neronis (fr. 91 = Xiph. LXIII, 22 —29 = Zonar. III, p. 41), de seditione a Cassio contra M. Antonium mota (fr. 118 = Xiph. LXXI, 22 = Zonar. III,

---

[1] Cito Zonaram secundum paginas editionis Dindorfianae.

p. 84). Maximi vero momenti ea sunt, quae de Pseudo-Nerone narrantur, cuius praeter nostrum unus Zonaras mentionem fecit (fr. 104 = Zonar. III, p. 55).

In universum aestimanti nemo Dionem acuratius expressit Xiphilino. Cave tamen credas nostrum, ubicunque longius a Xiphilini verbis recedit, Dioni ad arbitrium retractando studuisse. Nam multae lectionum varietates inde profectae sunt, quod noster exemplar Dionis retractatum atque interpolatum exscripsit. Hinc illa additamenta iis Dionis locis inculcata, qui omni lacunae indicio et vestigio careant: Dio XLVII, 8 = J. fr. 75:

(Fulvia) *τέλος δὲ τὸ αὐτῆς διανοίξασα στόμα, ἐκείνου* (Ciceronis) *τε τὴν γλῶτταν ἐξελκῦσαι καὶ τῇ βελόνῃ τῇ κατὰ τὴν κεφαλὴν κατακεντῆσαι πολλά τε καὶ μιαρὰ προςφθεγξαμένη, [ἐπὶ τὸ βῆμα τεθῆναι προςέταξεν, ἵν' ὅθεν κατ' αὐτῆς δημηγορῶν ἠκούετο, ἐκεῖθεν καὶ ὁρῷτο]. οὗτοι γε μόνοι ἐσώθησαν κτλ.*

J. fr. 79, § 4: *ἀλλὰ καὶ δόγματα προέθηκεν, ὥστε μήτε αὐτὸν μήθ' ἕτερον τινὰ σηρικῇ ἐσθῆτι χρῆσθαι, τόν τε χρύσεον ὅλον κόσμον γυναιξὶ μόναις ἐπιτρέψας* = Dio LVII, 15: *ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε μὲν ἐσθῆτι σηρικῇ, ἀπεῖπε δὲ καὶ χρυσῷ σκεύει μηδένα πλὴν πρὸς τὰ ἱερὰ νομίζειν.*

Neque apud Xiphilinum (ed. Dindorf V, p. 46) neque apud Zonaram (II, p. 387) additamentum primo Dionis loco insertum exstat. Cum secundo Xiphilinus (p. 132) ad verbum congruit. Unde cum appareat textum Dionis verum et integrum esse, cumque additamenta et discrepantiae Ioannis ab ea retractatione, cui eum passim incubuisse exposuimus, nimis abhorreant [1]), colligendum est Ioannem non genuina et vulgata Dionis recensione usum esse. Exstitisse autem adulteratam recensionem Vaticana ex Dione excerpta partim ad Constantini Porphyrog. collectanea partim ad Maximi Pla-

[1] propterea assentiri non possum Mommsenio (über die dem Cassius Dio beigelegten Theile der Planudischen und der Constantinischen Excerpte, Hermes VI, p. 82 sq.) statuenti Ioannem auctorem esse eorum ex Dione excerptorum, quae apud Maximum Planudem et eclogarium Constantinum leguntur.

nudis syllogen pertinentia evincunt. Quibus quam enormes lectionum varietates insint, primus A. Maius (scriptorum vett. nova collectio II Romae 1827, p. 197) monuit. Quoniam autem fragmenta Ioannis, ubi excerptis Vaticanis respondent, easdem, quas illa, a ceteris Dionis editionibus discrepantias praebent, perspicuum est Ioannem et eclogarios Vaticanos ex eadem Dionis recensione hausisse. Sic primus Muellerus statuit ad frgm. Ioannis 83. Alterum eiusdem recensionis vestigium Muellerus (FHG IV, p. 192) in corrupta nominis Viriathi scriptura indagavit. Scribit enim et noster (fr. 60) et eclogarius Vaticanus (ed. Dind. I, p. 127) *Βορίανθος* pro *Οὐιρίαθος*. Addo alios locos, qui easdem discrepantias simulque illud arguunt eclogarios Dionis in duas partes discedere, ita ut ex altera et genuina recensione Xiphilinus et Zonaras, ex altera et ea quidem retractata Ioannes et eclogarii Vaticani hausisse videantur: 1) Xiph. LXV, 1 = Zonar. III, p. 47 — Exc. Vatic. ed. Dind. V, p. 199 = J. A. fr. 96; 2) Xiph. LXIX, 19 = Zonar. III, p. 76 — Exc. Vatic. V p. 203 = J. A. fr. 114. Atque etiam in Valesianis et Ursinianis excerptis, quae ipsa quoque ad Constantini collectanea pertinent, nonnulla extant non ex ipso Dione petita. Eum in numerum L. Dindorfius (ed. Dion. V, p. VI) et ea retulit, quae Dioneis qualia sunt in codice Veneto, nullo loco congrue possunt interponi (V, p. 237) et ea quae ad Sullae historiam pertinent (I, p. 142—147 annotatt.). Haec de Sulla fragmenta, cum fere ad verbum cum Plutarchea eiusdem vita congruant, primus Reimarus (praef. ad Dion. § 12 sq.) ex Plutarcho Dioni inculcata esse contendit. Contra Grosius (edit. Dion. II, p. VI sqq.) hunc consensum inde repetiit, quod et Dio et Plutarchus ex Sullae commentariis quasi communi fonte hausissent. Sed Reimari sententiam Dindorfius (edit. Dion. V, p. VII) ea re confirmavit, quod in excerptis Vaticanis narrationi, quae cum Plutarcho convenit, praemissa est Livii et Diodori commemoratio, quae a Dione alienissima est. Itaque cum constet Dionis historias ab homine posteriore non modo retractatas, sed etiam additamentis Plutarcheis intertextas esse et Ioannem ex hac adulterata recensione sua hausisse, Plutarchea,

quae apud Ioannem Dioneis intertexta sunt, non ex ipso Plutarcho sed ex hac adulterata Dionis recensione repetenda sunt. Huc pertinent in frgmo. 68 verba *ὅτι ληξάντων τῶν ἐμφυλίων πολέμων . . . τὸ ἐν Ἀλβανοῖς χωρίον* = Exc. Vatic. I, p. 146 = Plut. Sulla c. 30, et verba *ἀποδειχθέντος δὲ ὑπάτου Λεπίδου . . . τοῖς περὶ τὸν Πομπήϊον* = Exc. Vatic. l. l. = Plut. Sulla c. 34. Quid vero? illa adulterina Dionis recensio ex ipsone Plutarcho an e fonte eius consarcinata est? nempe e fonte. Nam commemoratio Livii et Diodori quae in excerptis Vatic. I, p. 143 fit, et a Dione alienissima est neque apud Plutarchum hoc loco (Sulla c. 7) occurrit. Plutarchus in vita Sullae Diodorum nusquam, Livium non hoc loco nominat, sed ubi Caeciliam, Metelli filiam, Sullae nupsisse narrat (c. 6). Itaque interpolator Dionis non ex ipso Plutarcho, sed e fonte eius hausisse putandus est. Atque etiam si J. fr. 32 cum Plut. Romul. c. 26 contuleris: ut alterum scriptorem ex altero pendere negabis, ita utrumque eodem fonte usum esse contendes. Quamquam Plutarchus non omnia, quae de Romulo habet, ex eodem quo Ioannes fonte hausit.

Statuo igitur Ioannem ex interpolatore Dionis, interpolatorem Dionis non ex ipso Plutarcho sed e fontibus eius hausisse. Itaque ii quoque Ioannis loci, qui fere ad verbum cum Plutarcho congruunt, ex interpolata Dionis recensione fluxisse putandi sunt (fr. 67 *καὶ προλαβὼν Σουλπίκιον τὸν δήμαρχον κτλ.* = Plut. Sulla c. 8; fr. 72, § 17 = Plut. Brutus 1; fr. 77 = Plut. Antonius 32). Nam quod de uno loco constat, idem de ceteris eiusdem generis est statuendum. Neque dubito, quin ex eadem recensione haud exigua pars eorum repetenda sit, quae Ioannes de rebus Romanis e fontibus hodie deperditis hausisse videatur. Hunc in numerum exempli causa totum frgm. 68 eo probabilius mihi videor referre, quod singulae eius partes excerptis Vaticanis (I, p. 146 ed. Dind.) respondent. Ex hac igitur recensione et Sallustii (fr. 68) et Posidonii (fr. 72) nominatio ab Ioanne transscripta est.

3. Constat Dionem historias suas non ultra octavum Alexandri Severi annum (229 p. Ch.) deduxisse. At Va- Anonyma Dionis continuatio.

ticana ex Dione excerpta in collectaneis Constantinianis usque ad Constantinum magnum, in sylloge Planudea usque ad Gratianum nullo discriminis indicio interposito continuantur. Hanc Dionis continuationem ab homine Christiano profectam esse ex iis quae de Diocletiano narrantur (V, p. 230 ed. Dind.), suo iure A. Maius (Scriptt. vett. nova collectio II, p. XXIV) collegit. Non recte suspicatus est eam ab Ioanne Antiocheno esse conscriptam (ibid. p. 234). Nam primum continuator Dionis eam narrationis ubertatem arguit, a qua Ioannes plane abhorreat. Deinde ea, quae Ioannes inde a Commodo usque ad Gordianum habet, fere omnia ex Herodiano fluxerunt, quae vero in continuatione Dionis leguntur, ea aliunde petita sunt. Itaque Muellerus (FHG IV, p. 191) Ioanni Antioch. hanc Dionis continuationem vindicandam esse negavit. Eademque ratione opinionem Niebuhrii de Petro Patricio cogitantis (corp. Byzantin. Bonn. I, p. XXIV) infirmavit. Nuper Mommsenius (Hermes VI, p. 89) Maii sententiam contra Muellerum defendit neque tamen iis argumentis confirmavit, quibus cogamur, ut Ioannem pro auctore excerptorum Planudeorum et Constantinianorum habeamus. Nihil omnino de eo, qui Dionis historias continuavit, coniectura assequi licet. Aliud est inquirere, num Ioannes Antiochenus hac continuatione usus sit. Constat autem Zonaram multa ex ea hausisse [1]). Ubicunque igitur Zonaram cum Ioanne consentire deprehendimus, ibi Ioannem sua ex Dione continuato exprompsisse colligimus, velut hoc loco:

Zonar. III, p. 137: *ἀλλὰ καὶ λοιμὸς τηνικαῦτα ταῖς χώραις ἐνέσκηψεν, ἐξ Αἰθιοπίας ἀρξάμενος καὶ πᾶσαν σχεδὸν ἐπινεμηθεὶς χώραν ἑῴαν τε καὶ ἑσπέριον, καὶ πολλὰς τῶν πόλεων τῶν οἰκητόρων ἐκένωσεν, ἐπὶ πεντεκαίδεκα διαρκέσας ἐνιαυτούς* = J. fr. 151: *ὅτι Γάλλου βασιλεύοντος ιέ ἔτη ἐκράτησε ὁ λοιμὸς, κινηθεὶς ἀπὸ Αἰθιοπίας ἕως τῆς δύσεως· μετεδίδοτο δὲ ἀπὸ ἱματίων καὶ ψιλῆς θέας.* Idem valet de nonnullis rebus, quae de Iuliano narrantur (fr. 178, § 1 et 3 = Zonar. III, p. 190 et 210). Atque etiam excerptis

[1] Dindorf, edit. Dion. V, p. VI; eiusdem annotatt. ad Zonar. III, p. 119 sqq. Muelleri annotatt. ad continuatorem Dionis FHG IV, p. 191 sqq.

Vaticanis fragmenta Ioannis respondent. Nam ubi in Vaticana Dionis continuatione (p. 231 ed. Dindorf) mentio fit triumphi, quem Diocletianus paulo antequam imperio se abdicavit, egit, ibi et Ioannes (fr. 167, § 2) et Zonaras (III, p. 163) pariter pauca de origine triumphi interponunt pariterque Diocletianum et Maximianum imperio se abdicasse narrant, quod religionem Christianam exstinguere non potuissent. Unde magis etiam apparet continuatorem Dionis hominem fuisse Christianum. Utrum autem ille cum interpolatore Dionis idem sit necne, diiudicare non possumus, antequam Eutropii breviarium pertractaverimus.

4. Leguntur et apud Ioannem et apud Suidam multa Eutropius. ex Eutropii historia Romana in Graecam linguam conversa, quae cum ea Eutropii versione, quae Paeanium auctorem habet, non congruant ac potius ex antiquiore et elegantiore fluxisse videantur. Exstitisse autem antiquiorem Eutropii in Graecam linguam versionem Suidas auctor est (v. *Καπίτων*). Etenim Capitoni Lycio cum alia vindicat tum *μετάφρασιν τῆς ἐπιτομῆς Εὐτροπίου ῥωμαιστὶ ἐπιτεμόντος Λίβιον τὸν Ῥωμαῖον*. Capito autem Lycius, cum Stephano Byzantio, a quo saepius laudatur, antiquior sit, ante regnum Iustiniani II, fortasse sub Anastasio vixisse putandus est [1]). Hac igitur Eutropii versione, quae Capitoni Lycio vindicatur, Ioannem usum esse Valesius [2]) statuit, cuius opinio postea Kuestero [3]), Muellero [4]), Webero [5]) est probata. Inquiramus igitur, quae ratio inter Ioannem et Eutropium intercedat.

Nonnullis locis ambo ad verbum inter se congruunt (fr. 102 = Eutr. VII, 21). Aliis locis Ioannes Eutropii sententias pervertit aut ita delumbavit, ut Graeca verba latius pateant minusque definita sint Latinis (Eutr. VII, 23: per vespillones = J. fr. 107 *ὑπὸ τῶν ἀτιμοτάτων τῆς πόλεως;* Eutr. IX, 9 occisus est actuario quodam machinante = J. fr. 152 *πρός τινος στρατιώτου*). Nec mirum, quod Ioannes nonnullas res resecuit. Solet enim fontes suos breviare:

---

[1] Mueller FHG IV, p. 133. [2] annotatt. ad Ioannem Antioch. p. 115. [3] ad Suidam v. *ἀμύσσειν*. [4] FHG IV, p. 538. [5] dissertatio de latine scriptis, quae Graeci veteres in linguam suam transtulerunt. Cassellis II, p. 18 (1852).

Eutr. VII, 17: »(Otho) bello contra eum (Vitellium) suscepto, cum apud Brettiacum in Italia levi proelio victus esset, ingentes tamen copias ad bellum haberet, sponte semet occidit« = J. fr. 95: Ὄθων δὲ [σὺν ταῖς οἰκείαις ὑπαντήσας δυνάμεσιν], ἐλαττοῦται κατὰ τὴν πρώτην συμβολὴν, καὶ [τοῖς παροῦσιν ἀθύμως διατεθεὶς], καίτοι στρατιᾶς αὐτάρκους αὐτῷ καθεστηκυίας, ὑπεξάγειν ἑαυτὸν ἐκ παντὸς ἔγνω τρόπου. Verum hoc ipso loco additamenta Ioannis ad Eutropium deprehendimus, quae cum copiam et perspicuitatem narrationis valde augeant, interpretem haud mediocrem arguere videantur. Quantum vero brevitas et ariditas Eutropii ab ubertate et elegantia Graecae versionis distat hoc loco: fr. 116: (M. Antoninus) [τόντε γοῦν ἰδιώτην βίον] ἐν ἰσηγορίᾳ τοῖς πολλοῖς Ῥωμαίοις ἐβίω, [οὐδὲν τῇ ἐςποιήσει τοῦ βασιλείου γένους ἀλλοιωθείς]. καὶ ἐπεὶ παρῆλθεν εἰς τὴν ἡγεμονίαν [κατὰ μοναρχίαν ἐξηγούμενος, καὶ τὴν ἄκραν δυναστείαν καρπούμενος], πρὸς οὐδεμίαν ἀλαζόνειαν ὑπήχθη πώποτε· ἀλλ' ἦν ἐλευθέριος μὲν καὶ δαψιλὴς ἐν τοῖς εὐεργετήμασιν, [ἀγαθὸς δὲ καὶ μέτριος ἐν ταῖς τῶν ἐθνῶν διοικήσεσιν]. = Eutr. VIII, 2 »hic cum omnibus Romanis aequo iure egit, ad nullam insolentiam elatus imperii fastigio, liberalitatis promptissimae«. Quid? quod interpres Eutropium non modo ubertate, sed etiam subtilitate superare videtur? Parum concinne scribit Eutropius (X, 2—3): cum Severus a suis desertus esset, primum Maxentio opes auctas, deinde Severum interfectum esse. Tamen (id est: quamquam Severus interfectus erat), Maximianum id egisse, ut Maxentium filium exercitu nudaret. Quanto subtilius scribit interpres (fr. 169): Severum, paulo postquam a suis desertus esset, interfectum eaque re Maxentio opes auctas esse. Tamen (id est: quamquam Maxentii opes auctae erant) Maximianum id egisse, ut Maxentium filium exercitu nudaret. Hanc in transscribendo ubertatem subtilitatemque ab Ioanne Antiocheno alienam esse ex iis, quae supra exposuimus, apparet. Num igitur interpreti Graeco, quem exscripsit, hae virtutes vindicandae sunt? Vereor, ne nimis abhorreant a consuetudine et natura eorum, qui libros ex altera lingua in alteram vertunt. Etenim animum intende ad vim natu-

ramque additamentorum, quae apud Ioannem Eutropii verbis intertexta sunt, miraberis, cur tandem et unde gentium talia intertexta sint. fr. 37: *Ταρκύνιος δὲ, ὁ τοῦ βασιλέως ὁμώνυμος, Λουκρητίαν γυναῖκα, γένους παρὰ Ῥωμαίοις γνωριμοτάτου, Κολλατίνῳ συνοικοῦσαν, ἐμίαινεν. ἐπανελθούσης. καὶ τῷ πατρὶ τῇ τε λοιπῇ κατεμήνυσε συγγενείᾳ τῷ τε ἀνδρὶ, [ἐπαρασαμένη τε πολλὰ τοῖς ἀφ' αἵματος, εἰ τὴν συμφορὰν αὐτῆς καταλείποιεν ἀτιμώρητον, σπασαμένη τὸ ξίφος, ὅπερ ὑπὸ τοῖς κόλποις ἀφανῶς ἔφερεν], ἑαυτὴν ἐν ὄψει τῶν παρόντων κατειργάσατο. [τοῦτο δὲ τοὺς ἄλλους εἰς ὀργὴν ἀνῆψεν ἐλέῳ τῆς ἀνθρώπου (παρῆσαν γὰρ οὐκ ὀλίγοι Ῥωμαίων ἐπὶ θέαν τοῦ πάθους) καὶ οὐχ' ἥκιστα] Βροῦτον, προσήκοντα μὲν κατὰ γένος ἐκείνῃ, [ἄνδρα δὲ δημοτικὸν καὶ μισοτύραννον], ὃς μάλιστα τὸ πλῆθος εἰς τὴν τῶν βασιλέων ἤγειρεν ἀπόστασιν ἀφείλετο τε τῆς ἐξουσίας παντελῶς τὸν Ταρκύνιον.* Eutr. I, 8: »nam cum filius eius, et ipse Tarquinius, iunior nobilissimam feminam Lucretiam [eamque pudicissimam], Collatini uxorem stuprasset eaque de iniuria marito et patri et amicis questa fuisset, in omnium conspectu se occidit, propter quam causam Brutus, parens et ipse Tarquinii, populum concitavit et Tarquinio ademit imperium«. J. fr. 150: *ὅτι ἐπὶ Γάλλου καὶ Βουλουσιανοῦ Αἰμιλιανὸς ὁ τῆς Μυσίας ἔπαρχος καινοτομεῖν ἐπεβάλλετο, [αὐτῷ τε τὴν βασιλείαν ἐκ προγόνων ἁρμόττειν φιλονεικῶν καὶ τῆς Ῥωμαίων βουλῆς μεγίστας κατηγορίας ποιούμενος]· ἐφ' οὗ οἱ τῆς Ῥωμαίων προστατοῦντες ἐξουσίας [μεγίστῳ πλήθει] στρατεύσαντες, [ὑπὸ τῶν οἰκείων ἐπιβουλευθέντες] διεφθάρησαν* = Eutr. IX, 5: »mox imperatores creati sunt Gallus Hostilianus et Galli filius, Volusianus. Sub his Aemilianus in Moesia res novas molitus est. Ad quem opprimendum cum ambo profecti essent, [Interamnae] interfecti sunt«.

Omnia haec additamenta graviora sunt quam quae interpres ex suo suppleverit, leviora quam quae aliunde inculcasse putandus sit. Neque ullum indicium exstat, quo convenientiam Eutropii per vim divulsam esse appareat. Immo vero apud Ioannem omnia magis inter se apta concinnaque sunt quam in Latino Eutropii breviario. Itaque cum Eutropii

historiam ab interprete Graeco ad arbitrium interpolatam esse non existimandum sit, duae tantum restant viae ad additamenta Ioannis explicanda. Statuendum est aut Ioannem ex eodem, quo Eutropium, fonte hausisse aut Eutropii historias in Graeca versione, quam Ioannes exscripsit, integriores restare quam in breviario Latino. Ac primum Muellerus FHG IV, p. 133 statuit chronicon antiquius ex Graecis auctoribus consarcinatum communem et Ioannis et Eutropii fontem esse; deinde vero Graeca ex Latinis conversa esse propterea contendit (ibid. p. 538), quod apud Ioannem insigne vitium occurrat, quod ex Latinis male intellectis originem duxerit: Eutr. X, 6: »Constantinus . . . sororis filium, commodae indolis iuvenem, interfecit = fr. 170: ὅτι Κωνσταντῖνος . . . τῆς ἀδελφῆς τὸν υἱὸν Κομμόδης διαφθείρει δόλῳ. Sed hoc argumentum infirmavit Wollenbergius (Excerpta ex Ioanne Antioch. p. 24), Ambrosiano Historiae Miscellae codice nisus. »Ita enim, ait, comparatus est hic liber praestantissimus, ut quae apud Eutropium leguntur, uno tenore integriusque quam Verheykii libri exhibeat, deinde quae ex Pauli Diaconi additamentis fluxerunt, ceteris libris brevius adiciat. Exstat vero in Ambrosiano (ed. Taurin. p. 227): »egregium virum et bonae indolis iuvenem sororis filium Commodoe interfecit«. Quod quam bene cum Ioannis verbis concinnat, ipse vides: quare siquid vitii subest, iam vetus esse iudico«. Wollenbergius igitur primam Muelleri sententiam obtinuit recensuitque complures locos, quibus Ioannis verba propius quam Eutropii ad principales, ut ait, auctores accedunt. At Eutropius historias suas usque ad obitum Ioviani deduxit dedicavitque imperatori Valenti. Consensus autem verborum, qui inter Ioannem et Eutropium intercedit, usque ad extremum Eutropii caput, ubi de Ioviano agitur, pertinet. Ergo si cum Wollenbergio hunc consensum ex communi et Ioannis et Eutropii fonte repeteremus, sequeretur communem fontem non ante obitum Ioviani, id est non ante id ipsum temporis punctum esse conscriptum, quo Eutropii opus consarcinatum est. An vero credibile est Eutropium eo processisse insolentiae, ut contemporanei alicuius opus compilaret compilatumque im-

peratori dedicaret? Itaque cum de communi et Ioannis et Eutropii fonte non cogitari possit nisi subabsurde, facere non possumus, quin alteram viam ineamus statuamusque Eutropii historias in Graeca versione integriores restare quam in breviario Latino. Sic statuenti patet omne genus subtilitatum et supplementorum quibus interpres ipsum scriptorem superare videatur. Confirmatur autem haec sententia ea re, quod etiam Paeanius interpres Eutropii breviarium additamentis eiusdem generis locupletavit [1]). Nec desunt indicia, quibus breviarium Latinum lacunosum esse deprehendas. Nonnulla enim in illo ita presse et obscure dicta sunt, ut quid sibi velint, non intellegas nisi supplementa, quae apud Ioannem exstant adhibueris. Eutr. X, 9—10: »(Constans) obiit . . . rebus tamen plurimis strenue in militia gestis exercituique per omne vitae tempus sine gravi crudelitate terribilis. diversa Constantii natura fuit. a Persis enim etc.« = fr. 172: (Constans) *ὅτι καὶ ἐν τοῖς οἴκοι διαιτήμασιν οὐκ ἐπαινετὸς γέγονεν. ἐν δὲ δὴ τοῖς ἐπὶ τῶν στρατοπέδων ἄριστος ὡς τὸ πολὺ καὶ εὐτυχέστατος. τοῖς τε γὰρ στρατιωτικοῖς τέλεσιν ἐν παντὶ φοβερὸς τῷ βίῳ, καίπερ ἐς οὐδεμίαν πώποτε προαχθεὶς ἀπηνῆ τε καὶ σκληρὰν τῶν ἁμαρτανομένων κόλασιν. Κωνστάντιος γε μὴν ἐναντίαν ταῖς εἰρημέναις εἰλήχει τύχην, [ἄριστος μὲν ὢν τὰ πολιτικά, οὐ δεξιῷ δὲ παρὰ τὰς μάχας δαίμονι χρώμενος].* Eutr. X, 16 »fuerunt enim nonnulli, qui vulnera gloriae eius (sc. Iuliani) in ferrent«. = J. fr. 180: *ἐγένοντο γοῦν τινες, οἳ μῶμον τῇ τοῦ ἀνδρὸς δόξῃ [τοῖς ἑαυτῶν] ἀνέθεσαν [μειονεκτήμασι, πολλὰ τῶν ἀλλοτρίων λαμβάνοντες προφάσει τῆς Ἑλληνικῆς δοκήσεως, οὐ μόνον ἀγνοῦντος τοῦ βασιλέως ἀλλὰ καὶ κωλύοντος].* Hiantia locutus est breviator Latinus omittens accuratius expedire, qua ex parte diversa fuerit Constantii natura, quaque re amici Iuliani gloriae vulnera intulerint. Denique indicio extrinsecus petito lacunam in breviario Latino hiantem mihi videor detegere. Georgius enim Codinus

[1] cfr. E. Schulze, de Paeanio Eutropii interprete, Philologus XXIX, p. 296 hic tamen non recte statuit, breviarium Eutropii a Paeanio additamentis Dioneis interpolatum esse. Eutropius ipse Dione usus est, id quod infra demonstrabimus.

(de orig. Const. p. 18 ed. Bonn), postquam narravit anno mundi 5837°, primo anno olympiadis 265ae fundamenta orientalium murorum Constantinopolis iactata, novem mensibus maritimum et terrestrem murum absolutum, die 11° mensis Mai Encaenia urbis celebrata esse, subiicit haec: *ταῦτα ἐπράχθη τῷ δωδεκάτῳ ἔτει τῆς βασιλείας τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, συμπραττόντων αὐτῷ . . . Οὐρβικίου καὶ Ὀλυβρίου τῶν πραιποσίτων, Ἰσιδώρου καὶ Εὐστοργίου καὶ Μιχαὴλ πρωτοβεστιαρίου, ἀμφοτέρων πατρικίων ὄντων, καὶ Ὠνορισίου ἐπάρχου· καθὼς ἱστοροῦσιν Εὐτυχιανὸς πρωτοσηκρήτης ὁ γραμμάτικος καὶ Εὐτρόπιος ὁ σοφιστὴς ὁ τῷ παραβάτῳ Ἰουλιανῷ συμπαρὼν ἐν Περσίδι κτλ.* Testatur igitur Codinus Eutropium plura de originibus Constantinopolis scripsisse. Neque tamen quidquam horum in breviario Latino (X, 8) legitur. Inde igitur, quod Ioannes integro Eutropii opere usus est, additamenta illa repetenda sunt, quae in breviario Latino desiderantur. Neque dubito eandem originem maioribus quoque eiusdem generis additamentis vindicare, velut omnibus, quae in fr. 64 et 98 leguntur.

Sed unumquidque additamentum accurate examinandum est. Nam primum Ioannes, ut solet fontes inter se miscere, Eutropii verba Dioneis interpolavit, velut hoc loco: fr. 82 *ὅτι ὁ Γαίος μιαρώτατος κτλ.* = Eutr. VII, 12; *ὅσα γὰρ τῷ Αὐγούστῳ κτλ.* = Dio LIX, 3—4; *ἐχρῆτο δὲ καὶ ταῖς ἀδελφαῖς* = Eutr. VII, 12 *ναούς τε καὶ θυσίας κτλ.* = Dio LIV, 4 etc. Sed hoc genus interpolationum inconvenientia et deformitate totius narrationis facile cognoscitur. Exempli causa Ioannes (fr. 72) Eutropii narrationem de bello civili inter Caesarem et Pompeium gesto usque ad eum locum exscribit, ubi Caesar Italia subacta in Hispanias profectus esse narratur. Hic (§ 5) episodium ex Dione compilatum de proelio Brundisino et de Pompeio in Epiro bellum parante tam incondite subiungit, ut Pompeium ab Epiro Brundisium profectum esse et re infecta in Epirum revertisse fingat. Deinde senatorum Thessalonicae transigentium mentione facta ad ea, unde digressus est, Eutropii verba redit: *τρεῖς δ' οὖν στρατιὰς ἐνταῦθα καὶ μεγάλας καταγωνισάμενος* (§ 7). Sed illud *ἐνταῦθα* apud Ioannem tantum

abest, ut verbis ἐν Ἰβηρίᾳ (§ 4) respondeat, ut potius Thessalonicam urbem respiciat. Probatur igitur, id quod supra diximus, Ioannem in interpolando parum scite esse versatum.

Sed aliud obstat, quominus ubique liquido internoscamus, utrum ex Dione an Eutropio Ioannes hauserit. Nonnullis enim locis cum utroque simul congruit: J. fr. 57: ὅτι Αἰμίλιος ὁ ὕπατος ὁ τὸν Περσέα τὸν τῶν Μακεδόνων βασιλέα χειρωσάμενος, ἀνὴρ ἦν σώφρων καὶ φέρειν εὐπραγίας εἰδὼς καὶ ἱκανὸς ὤν. ἅμα γὰρ βασιλικῇ θεραπείᾳ τὸν ἄνδρα ὑπεδέξατο, πεσεῖν τε βουληθέντα πρὸς τοῖς γόνασιν αὐτοῦ ἀναστήσας καὶ ἐπειπών· »ἄνθρωπε τί μου καταβάλλεις τὸ κατόρθωμα;« ἐπί τινος βασιλικοῦ θρόνου πάρεδρον ἑαυτῷ κατεστήσατο. = Exc. Vatic. I, p. 117 ed. Dind.: ὅτι Περσεὺς ὕστατος βασιλεὺς Μακεδονίας, καταλιμπανόμενος ἐν τῷ πρὸς Ῥωμαίους πολέμῳ ὑπὸ τῶν οἰκείων, ἀπογνοὺς φέρων ἐνεχείρισεν ἑαυτὸν Αἰμιλίῳ Παύλῳ. ὁ δὲ πεσεῖν βουληθέντα πρὸς τοῖς γόνασιν αὐτοῦ ἀναστήσας καὶ ἐπειπών· »ἄνθρωπε, τί μου καθαιρεῖς τὸ κατόρθωμα;« ἐπί τινος βασιλικοῦ θρόνου πάρεδρον αὐτῷ κατεστήσατο = Eutr. IV, 7: »ipse rex, cum desereretur ab amicis, venit in Pauli potestatem. sed honorem ei Aemilius non quasi victo habuit. nam et volentem ad pedes sibi cadere non permisit et iuxta se in sella collocavit«. Conferas etiam J. A. fr. 60 = Exc. Vatic. I, p. 127 = Eutr. IV, 16. His exemplis perspicuum est Eutropium nonnulla ex retractato illo et interpolato Dionis exemplari hausisse, de quo supra egimus.

Itaque non recta est opinio a Suida (v. *Εὐτρόπιος*, v. *Καπίτων*) vulgata, qua Eutropii opus ex uno Livio breviatum esse creditur[1]). Nam loco supra notato Livius (epit. LIV) Viriathum consilio Servilii Caepionis interfectum esse auctor est, Dio et Eutropius percussores a Servilio non modo non excitatos, sed etiam publice castigatos esse contendunt. Atque etiam aliis locis Eutropius non tam cum Livio quam cum retractato Dione facit:

---

[1] Suetonium et chronicon urbis Romae ab Eutropio adhibitos esse docuit Mommsen, über den Chronographen von 354, Abhdlgn. d. sächs. Ges. der Wiss. I, p. 601.

Eutr. I, 9 = Exc. Vatic. I, 18 — Liv. II, 1; Eutr. II, 5 = Exc. Vat. I, p. 41 — Liv. VII, 10; Eutr. II, 6 = Exc. Vat. p. 41 — Liv. VII, 27; Eutr. III, 11 = Exc. Vat. I, p. 96 — Liv. XXIII, 12; Eutr. II, 11 = Exc. Vat. I, p. 60; Eutr. II, 13 = Exc. Vat. I, p. 66. Eutr. II, 14 = Exc. Vat. I, p. 67. Quoniam igitur constat Eutropium ex eadem Dionis recensione hausisse, qua Ioannes usus est, fortasse aliquis dixerit omnem inter ambos consensum ex hac Dionis recensione quasi communi fonte esse repetendum. Quod si ita esset, illud profecto perspici non posset, Ioannem Eutropii verba Dioneis tam incondite interpolasse. Immo vero, cum haec Dionea pro membris ex communi fonte suppletis essent habenda, consentaneum erat convenientiam orationis his interpolationibus non interrumpi, sed augeri. Itemque omnia, quae inter E. et J. congruunt, ex hac Dionis recensione essent repetenda. At Eutropius non Dione solum, sed etiam Livio, Suetonio, aliis usus est. Denique cum consensus inter J. et E. usque ad ultimum Eutropii caput pertineat, de hac Dionis recensione quasi communi amborum fonte non cogitari potest nisi subabsurde. Inde igitur, quod Eutropius nonnulla ex hac recensione hausit, id unum colligendum est, eam ante regnum Valentis esse conscriptam. Unde efficitur auctorem huius recensionis non eundem fuisse cum eo, qui Dionis historias usque ad Gratianum continuavit.

Fragmenta originis incertae.

5. Exstant apud Ioannem nonnulla de rebus Romanis fragmenta, quae quo ex fonte fluxerint, pro certo affirmare non possum. Ex chronico deterioris farinae exprompta esse videntur, quae in frgis. 33 et 36 de Numa et Tarquinio Superbo enarrantur. Atque etiam ea, quae ad historiam liberae reipublicae pertinent, non carent confusionibus rerum (fr. 44, 47, 50, 61—63). Perverse, ut hoc afferam, Ioannes scribit (fr. 44) Cassio et Sulpicio consulibus Romae tumultum servorum esse exortum. Sp. enim Cassius Viscellinus anno 502 a. Ch., Ser. Sulpicius Camerinus anno 500 consul fuit [1]). Servorum autem tumultum anno 501 exortum, anno 500 a Sulpicio sedatum esse Zonaras (II, p. 125) auctor est.

[1] v. Fischer, roemische Zeittafeln ad hos annos.

In frgo. 61 Sicilicum illud servorum bellum C. Caecilio Metello et Cn. Carbone consulibus vel olympiade 167 exortum esse narratur. At illi fuerunt consules anno 113 a. Ch.[1]) vel olymp. 166, 4, bellum autem servile exortum est anno 141, confectum a. 132[1]). Nec minus perverse P. Scipio hoc bellum exstinxisse narratur. In frgis. 62 et 63 Ioannes P. Scipionem Africanum, cum eum Tiberio Graccho mortem intulisse eamque ob rem Roma pulsum esse scribat, confudit cum P. Scipione Nasica. Itemque vera cum falsis miscuntur iis fragmentis, quae ad regna diadochorum, quos vocamus, pertinent (53—56, 58, 59, 65, 66 v. Muelleri annotatt. ad haec frgma.). Suspicor omnia haec frgma ex iuniore aliquo chronico fluxisse. Eundemque in numerum ea quoque refero, quae ad regna Persarum et Macedonum pertinent (27, 28 § 1, 38, 39 § 1, 40—42). Nonnulla horum etiam apud Georgium Syncellum et Georgium Cedrenum leguntur (J. fr. 41 = Syncell. I, p. 502 ed. Bonn. = Cedren. I, p. 265 ed. Bonn.; J. fr. 41 = Cedr. I, p. 272, 266; J. fr. 42 = Cedr. I, p. 271). Itaque cum Syncellus et Cedrenus Dexippum auctorem suum esse testentur, apparet Ioannem quoque Dexippo usum esse. Sed in dubio relinquam, num non modo haec de Alexandro frgma, sed etiam cetera, quorum fontes lateant, ex Dexippi ἱστορίᾳ χρονικῇ manaverint. Certe nullum alium auctorem indagare possum, quem Ioannes his in rebus secutus sit.

6. A. de Gutschmid (loco supra p. 4 laudato) contendit Ioannem Antiochenum in exscribendo Ioanne Malala ita versatum esse, ut turpissimum quemque errorem eius tolleret verbaque eius Eutropianis et Dioneis intermisceret. Contra Muellerus (FHG IV, p. 536) non nostrum e Malala, sed Malalam e nostro sua petiisse statuit. Sed neuter horum causas protulit, cur ita statueret. Pertractanti igitur mihi hanc controversiam apparuit, non alterum Ioannem ex altero, sed utrumque e communi fonte hausisse. Ac primum quidem Muelleri sententia propterea mihi non probatur, quod Malalas nostro antiquior fuit (v. supra), deinde Auctores christiani.

[1] v. Fischer, roemische Zeittafeln ad hos annos.

propterea, quod Malalas fere ubicunque cum nostro facit, uberior et verbosior nostro est. Gutschmidii autem sententia ea mihi re infirmari videtur, quod noster non turpissimum quemque Malalae errorem, sed totam eius farraginem praeter prooemium sustulisse dicendus est. Atque etiam id contra Gutschmidium facit, quod apud nostrum in ea ipsa operis parte, quae cum Malala congruit, additamenta occurrunt, quae apud illum desiderantur. Dixeris forsan ea propterea desiderari, quod codicibus et Oxoniensi (ed. Dindorf, corpus Byzantin. Bonn.) et Parisiensi (ed. Cramer, anecdota Graeca e codd. mss. bibl. reg. Paris. II, p. 231 sqq.) non integrum Malalae opus, sed excerpta tantum contineantur. At Ioannis Antiocheni historia multo minus integra est. Uterque igitur scriptor ab Adamo initium sumens iisdem fere verbis aetatem fabularem ita describit, ut et Hebraeorum patriarchas et ceterarum gentium deos heroesque aequales fuisse fingat atque enarret, quando quisque et ubi terrarum regnum tenuerit, quid praeclare fecerit, quos liberos genuerit, aliaque. Hac in farragine, quamquam generatim Malalam nostro copiosiorem esse quavis pagina docemur, tamen singula additamenta apud nostrum occurrunt: fr. 4, § 4 Ἥραν [ἣν καὶ Ζυγίαν Νέμεσιν ἐκάλουν τινὲς εὐχαριστοῦντες αὐτῇ ὡς ἀγαθῇ καὶ δικαίᾳ] ... Βῆλον [διὰ τὸ ὀξύτατον εἶναι] ... Ἀφροδίτην [φιλόσοφον γενομένην] — Mal. C. 235[1]); fr. 6 § 4 [μετὰ Μαιάδος τῆς Ἰταλικῆς] — M. C. 236; fr. 6 § 7 [ἐνομοτέθησε δὲ καὶ ταῖς Αἰγυπτίων γυναιξὶν μονανδρεῖν καὶ σωφρόνως διάγειν] — M. C. 237; fr. 6 § 12 [ὁρκίζωσι κατὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ λόγου καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ περιέχοντος πάντα] — M. C. 238; M. D. 27; fr. 23 [ἥ τις ἔγκυος οὖσα ἔδοξε λαμπάδα πυρὸς τίκτειν] . . . [ἀπράκτων δὲ τούτων ἐπανελθόντων . . . παῖδες ἀνθίσταντο] . . . παρακαλῶν [μὴ παριδεῖν τὴν ὕβριν et reliqua] — M. D. 92, 97. Desiderantur etiam apud Malalam, ubi in ceteris cum nostro congruit, nonnullae auctorum nominationes, velut Ovidii (fr. 2 § 10 — M. C. 232), Bibliae, Pergami et Josephi (fr. 2 § 14 — M. C. 233), Josephi (fr. 2 § 16 — M. C. 233). Quin

[1] M. C. = Malalas ed. Cramer, M. D. = ed. Dindorf. p.

et maiores fabularum particulae, quae apud nostrum exstant, a Malala omissae sunt, velut quid Servius et Pisander de Gigantibus scripserint (fr. 2 § 12, 13— M. C. 233), quomodo orbis terrarum inter filios Noae divisus sit (fr. 2 § 17— M. C. 233), qua ratione allegorica intelligenda sint praeclara facinora Herculis (fr. 6 § 6) et aureum vellus Medeae (fr. 15 § 3 — M. D. 79). Sed sint omnes hae lacunae librariis Malalae vindicandae, certe non librariorum culpa accidit, ut omnia quae ad historiam bibliacam pertinent, apud nostrum accuratius describantur quam apud Malalam (fr. 9, 10, 11, 16, 17, 18, 26). Huc adde quod praeter hunc de aetate fabulari tractatum (fr. 2—31 = M. C. 231—242 = M. D. 23 sqq.) et unam de Herodis Antipae caede narrationem (fr. 80 = M. D. 239) nihil exstat, quod inter nostrum et Malalam congruat. Profecto, si noster chronico illius usus esset, pervalde mirum foret, quod non plura exscripsisset. Itaque consensus amborum scriptorum ex communi fonte repetendus est[1]). Hic autem fons in numerum eorum chronicorum referendus est, quibus praepositum erat historiam bibliacam cum profana ita miscere, ut synchronismus inter utramque appareat. Qua in re innumeri scriptores, poetae, mythographi, historici, alii nominantur. Inde quod etiam Servius (J. fr. 2, § 12) et Dictys (J. fr. 23, M. D. 107 etc.) nominantur, colligendum est, communem et nostri et Malalae fontem non ante medium saeculum quintum esse conscriptum. Iam vero ea re, quod in hoc tractatu Zenonis imperatoris (474—491) mentio fit, apparet communem illum fontem non ante annum 500 esse exaratum. Exaratum autem eum esse ab homine quodam Athanasiano ea re perspicuum est, quod Orphica quaedam sententia ad trinitatem consubstantialem refertur (J. A. fr. 6 § 12 = M. D. 27; v. Bentleii epistolam ad Millium p. 683 ed. Bonn. ad calcem Malalae).

---

[1] Neglexi in hac quaestione neque Chronicon Paschale neque Georgium Cedrenum, apud quos idem tractatus legitur. Sed chronicon Paschale ita e Malala derivatum est, ut nil nisi dispositio rerum immutata sit. Cedrenus autem e nostro hausisse videtur.

Nomen auctoris fortasse latet in inscriptione codicis Paris. 1630: *ἀπὸ τῆς ἐκθέσεως Ἰωάννου Α . . . πονηθείσης, ὥς φησιν, ἀπὸ βίβλων Μωσέως, Ἀφρικανοῦ, Εὐσεβίου, Παππίου καὶ Διδύμου καὶ ἑτέρων* (fr. 2, § 1). Sed quinam ille Pappias fuerit, mihi non constat. Certe non intelligendus est Papias, episcopus Hierapolis, quem Eusebius discipulum Ioannis evangelistae amicumque Polycarpi Smyrnaei fuisse scribit et cuius libro (*λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεις*) se ipsum usum esse testatur (hist. eccles. II, 15; III, 36, 39). Ab hoc diversus esse videtur ille Papias, cuius mentionem faciunt *παρατάξεις σύντομοι χρονικαί* ad calcem Georgii Codini ed. Bonn. p. 175: *καὶ τοῦτο ὁ αὐτὸς Παπίας ἐδίδαξε ἐκ τῶν αὐτοῦ συγγραμμάτων, ὅτι αἱ γοργονειδεῖς κεφαλαὶ . . . ἐκ τοῦ ναοῦ τοῦ Ἐφεσίου ἥκασιν.* Sed haec notitia tenuior est, quam unde quidquam colligi liceat. Didymus a Malala in eo tractatu, qui cum nostro congruit, saepius nominatur (M. D. 81, 86), sed eodem modo, quo reliqui scriptores, quos non adhibuit. Unde colligitur, hunc tractatum non e Didymo fluxisse. Contra quae noster (fr. 1 § 8) de Gorgone nullo auctore nominato habet, ea etiam Syncellus (p. 306 ed. Bonn.) praebet vindicatque Didymi *ἱστορίᾳ ξένῃ.* Forsan igitur Ioannes allegoricas mythorum interpretationes, quae in frgmo 1° leguntur, partim e Didymo hausit. Quamquam eaedem apud Eusebium exstant, qui ipse quoque, ut Didymum adhibuit, ita a nostro adhibitus est, id quod non modo inscriptio cod. Paris. sed ipsa quoque frgma evincunt (fr. 1 § 3—5, 8, 9, 12—19, 23, 26 = Euseb.[1]) p. 288, 283, 287, 290, 292, 294, 295, 297, 301, 98, 125). Eusebius autem haud pauca e Iulio Africano transscripsit. Quare cum Ioannes ipse quoque Africano usus sit, illud passim incertum est, quaenam ex eo Ioannes directa via hauserit. Africanum autem a nostro directa via adhibitum esse apparet comparanti ea, quae noster fr. 1 § 1 nullo auctore nominato narrat, cum iis quae Syncellus (p. 280 ed. Bonn.) Africano tribuit. Contra enumerationes ludorum sollemnium in Grae-

---

[1] Eusebii Pamphili chronicor. canon. libri duo ed. A. Maius et J. Zokrabus, Mediolani 1818.

cia institutorum, Olympionicarum, denique regum Aegypti utrum ex Eusebio an ex Africano haustae sint, non liquet[1]). Restant nonnullae eiusdem generis notitiae, quae ipsae quidem apud Syncellum reperiuntur, sed non certo auctori vindicantur (fr. 1, § 2, 6, 7, 10, 11, 18, fr. 28, fr. 30 = Sync. p. 282, 304, 296, 307, 332, 288, 340). Denique sunt, quae apud unum Ioannem legantur (fr. 1 § 17 de Scylla, § 22, 25, 28).

At Muellerus (ad fr. 1) censuit omnes has fabulas, quae ex Eusebio Africano ceteris petitae sunt (totum frgm. 1), a librario Ioanni esse subditas. Exstant enim in uno cod. Salmasiano neque conveniunt cum iis, quae deinceps in eodem cod. aeque atque in ceteris leguntur, id est cum illo tractatu, qui inter nostrum et Malalam convenit. Sed si propterea hoc frgm. pro subditicio esset habendum, eadem ratione etiam ultimum eiusdem codicis excerptum de caede Aetii (fr. 200) ab Ioanne alienum esset putandum, quippe quod ex alio fonte fluxerit quam illud frgm., quod ei in codice Paris. respondet (fr. 201). Verum enimvero saepius apud Ioannem de iisdem rebus duae narrationes leguntur, quae ex diversis fontibus fluxerunt neque inter se congruunt (de Romulo fr. 31 et 32, de Tarquinio Superbo fr. 36 et 37, de Theodosio II fr. 191 = 194 et 193). Illud tamen non dubito, quin hae notitiae (fr. 1) falso in loco positae sint. Nam ceteri codices non ab Ogyge, sed ab Adamo initium faciunt. Ponendae autem sunt hae notitiae ex Africano ceterisque petitae fortasse post frgm. 39, ubi Ioannes ab aetate Alexandri magni ad antiquissima Nini tempora revertisse videtur.

Redeamus igitur ad auctores christianos, quibus Ioannes usus est. Hoc ex numero etiam Philostorgius est, a quo derivata est expositio, unde Iordanis flumen nomen traxerit (fr. 10). Inscribitur enim apud Ioannem *ἐκ τῆς ἱστορίας Φιλοστοργίου* et congruit cum iis, quae Photius ex Philostorgio exscripsit (Phil. VII, 3 ed. Gothofred. Genevae 1643,

[1] fr. 1 § 20 = Sync. p. 453, Euseb. p. 331; § 27 = Euseb. p. 145, 148, Julii Africani *ὀλυμπιάδων ἀναγραφή* ed. Ruotgers ad ol. 157, 47, 62, 29; § 21 = Sync. p. 102, 108.

cfr. p. 180). Cum Socratis historia ecclesiastica complura Ioannis frgma paene ad verbum congruunt, ut ex ea exscripta esse videantur. In exscribendo eam ipsam contrahendi et concidendi rationem, quae Ioannis propria est, adhibitam esse cognoscimus (conferas e. gr. J. A. fr. 186, § 1 et 3 = Socrat. V, 11—14). Nonnullis tamen locis Ioannes, ubi in ceteris cum Socrate congruit, additamenta quaedam praebet, qualia non aliunde interpolata, sed genuina membra integrae narrationis esse nemo non concedet: J. fr. 185: *ὅτι Γρατιανὸς [ὡς ἐπύθετο τὴν τοῦ Οὐάλεντος τοῦ θείου τελευτὴν, αὐτίκα πρὸς τὴν ἑῴαν Ῥώμην διέθει], καὶ καταγνοὺς τῆς τοῦ θείου Οὐάλεντος περὶ τοὺς Χριστιανοὺς ὠμότητος, τοὺς μὲν ὑπ' ἐκείνου ἐξορισθέντας [διὰ ταχέων] ἀνεκαλεῖτο [οὐσίας τε αὐτοῖς ἀποδιδοὺς καὶ θεραπεύων τὰς βλάβας]. πᾶσι τε νόμον περιεῖχεν ἀδεῶς καὶ ἀδηρίτως ἐν ταῖς ἰδίαις ἐκκλησίαις συνάγεσθαι, μόνους δὲ τῶν εὐκτηρίων εἴργεσθαι Εὐνομιανοὺς, Φωτεινιανοὺς, Μανιχαίους* = Socrat. V, 2. Conferas etiam fr. 182 et Socrat. IV, 1, fr. 184 et Socrat. IV, 3—5. In fr. 186, § 3 = Socr. V, 14 addita sunt ultima verba *καὶ τῷ τῆς βουλῆς τάγματι συγκατέγραψεν.* Consulem eius anni, quo Theodosius II natus est, nominat J. A. fr. 190 *Φλαυιανόν*, Socrat. V, 6 *Φραΐτον*, Sozomen. VIII, 4 *Φλαβίταν.* Fortasse igitur aliquis dixerit omnem inter nostrum et Socratem consensum e communi fonte esse repetendum. Sed convenit inter utrumque etiam ille panegyricus, quem Socrates Theodosio II imperatori, sub quo scripsit, dedicavit (fr. 193 = Socr. VII, 22). Hunc autem ab ipso conscriptum neque e scriniis contemporanei auctoris compilatum esse procul dubio est. Incipit enim sic: *ἐγὼ δὲ οὔτε βασιλεῖ γνωρισθῆναι σπουδάζων οὔτε λόγων ἐπίδειξιν ποιήσασθαι βουλόμενος αὐτὰ ψιλὰ μετὰ τῆς ἀληθείας τὰ προςόντα καλὰ τῷ βασιλεῖ ἀπομνημονεῦσαι προῄρημαι·*; quae deinceps sequuntur, cum Ioanne congruunt. Quae cum ita sint, Ioannem partim ex ipso Socrate partim e fonte eius hausisse eo probabilius mihi est, quod eadem ratio etiam inter alios auctores (Euseb., African.) et nostrum intercedit. Exstitisse autem communem utriusque fontem ea re probatur, quod etiam Sozomenus cum Socrate congruit neque tamen scrinia

eius compilavit [1]). Fortasse ex eodem fonte omnia incertae originis fragmenta Ioannis, quae ad res ecclesiasticas pertinent, repetenda sunt (fr. 81, 90 v. supra p. 11, 111, 149, 175 § 1, 179). Certe fuit auctor Athanasianus, ex quo haec verba de Constantio sunt exscripta, *ὅτι Κωνστάντιος . . . βαρὺς ἦν τοῖς μὴ βουλομένοις τὰ Ἀρείου φρονεῖν* (fr. 175, § 1). Ex Socrate autem exscripta sunt haecce: fr. 186, § 1 = Socr. V, 11; 186, 3 = Socr. V, 12; 189 inde a verbis *καί ποτε καὶ τοὺς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις* = Socr. VI, 5; fr. 190 inde a verbis *τότε Γαϊνὰς ὁ τῶν ἑῴων* = Socr. VI, 6; 193 = Socr. VI, 22; 195 = Socr. VII, 23—24; 197 = Socr. VIII, 24.

7. Cum Socrate Zosimum ab Ioanne iunctum esse Muellerus (FHG IV, p. 538) propterea statuisse videtur, quod complura Ioannis frgma cum Zosimo ad verbum congruunt (fr. 153 = Zos. I, 41). Complura nihil aliud quam excerpta ex illo esse videntur (Zos. I, 63 = J. fr. 157). Quin et errata exstant, quae ex Zosimi verbis male intellectis originem duxisse videantur. Zosimus (I, 40) narrat Heraclianum praefectum praetorio caedem Gallieni ipsum quidem parasse, perpetrandam tamen audacissimo cuidam viro, qui alae Dalmatarum praefectus erat, commisisse. Ioannes (fr. 152, § 3) hanc narrationem nimis contrahendo ita detorsit, ut scriberet Gallienum interfectum esse ab Heracliano, praefecto Dalmatarum, hunc autem non ipsum caedem perpetrasse, sed audacissimo cuidam viro perpetrandam comisisse. Confudit igitur praefectum praetorio cum praefecto Dalmatarum, hunc autem a viro audacissimo perverse distinxit. Sed aliae intercedunt discrepantiae inter nostrum et Zosimum, quae non e Zosimi verbis male intellectis aut contractis originem duxerunt. Dubito, num Ioannes in fragmento 152, § 2 Gallieni nomen ex suo ad Zos. I, 39 addiderit. Et quantum distant ultima utriusque verba (J.: *τὸν θάνατον τοῦ ἀνδρὸς ἐκδικοῦσα;* Zos.: *τὴν ἴσην εἰςφέρουσα τοῖς πράγμασιν ἐπι-* Eunapius.

---

[1] Holzhausen, commentatio de fontibus, quibus Socrates, Sozomenus et Theodoretus usi sunt. Gottingae 1825, p. 22 sqq. Sozomenus auctores suos liberius retractat; itaque nusquam ad verbum cum Socrate aut Ioanne congruit (fr. 182— Soz. VI, 6; 184— Soz. VI, 8; 185— Soz. VII, 1.

μέλειαν). Iam vero, si ea quae uterque de caede Valentiniani II et tyrannide Eugenii habet, inter se comparaveris, alterum ex altero pendere negabis. Exordiuntur ambo pariter (Zos. IV, 53 = J. fr. 187). Sed dum Zosimus statim ad rem ipsam pergit, Ioannes digressionem plane ineptam facit de diversis Valentiniani I coniugibus, praesertim de Iustina, ex qua Valentinianus II et Galla, uxor Theodosii magni, nati sint. Zosimus eadem alio loco et eo magis idoneo narrat (IV, 43). Ubi enim Theodosium amore Gallae ad bellum contra Maximum parandum excitatum esse scribit, ibi haec de Iustina, Gallae matre, haud incondite subiicit. Contra Ioannes, cum in bello illo describendo (186 § 3) Socratem secutus sit, ea quae ille omisit, hoc loco repetenda esse perverse censuit. Deinde ad id, unde digressus erat, reversus eandem narrandi dispositionem, quam Zosimus, tenet. Neque tamen cum verbis illius nisi passim et in universum congruit, id quod pervalde mirum foret, si ex illo hausisset. Zos. IV, 57: (*Θεοδόσιος*) *τοὺς δὲ πρέςβεις τε καὶ λόγοις ἐπαγαγὼν τὸ μέτριον ἐν ἑαυτοῖς ἔχειν δοκοῦσιν ἔπεμπεν ἐπ' οἴκου* = J. fr. 187: *οὓς δὴ Θεοδόσιος ποικίλοις διακρουσάμενος λόγοις καὶ φιλανθρώποις ἀποκρίσεσι δελεάσας ἀπεπέμψατο;* Zos.: *παρὰ πᾶσαν ἐλπίδα τοῖς πολεμίοις ἐπέστη· καὶ τὸν μὲν Εὐγένιον τῷ παραλόγῳ κατέπληξεν* = J.: *τῷ παραλόγῳ τῆς ὀξύτητος καὶ τῷ τάχει τῆς ἀφράστου διαδρομῆς ὁ Εὐγένιος ἔπτηξεν.* Itaque cum hic verborum consensus tenuior sit quam pro Ioannis consuetudine exscribendi, gravior, quam qui e natura rerum fortuito manaverit, et nostrum et Zosimum e communi fonte hausisse verisimile est. Id vero ea re procul dubio ponitur, quod noster nonnulla habet, quae ille silentio praetermisit. Huc pertinet commemoratio Hunnorum in enumerandis iis copiis, quas Theodosius collegit, huc descriptio crudelitatis, quam Arbogastes invito imperatore cum in alios tum in Harmonium exercuit, huc denique verba illa, quibus Arbogastis mores illustrantur: (*ἀνὴρ*) *φλογοειδής τε καὶ βάρβαρος τὴν ψυχήν.* Cum Arbogastes eodem modo in Eunapii frgmis (no. 53 ed. Dindorf) describatur: *κατὰ ἀλκὴν σώματος καὶ θυμοῦ τραχύτητα φλογοειδὴς ἦν,* cumque inter omnes constet Zosimum Eunapio

usum esse, quis negaverit omnem inter nostrum et Zosimum consensum ex Eunapio esse derivatum? Eandemque in sententiam adducimur conferendo, quae uterque de Alarichi in Graeciam irruptione et de exitu Rufini narrat (fr. 190 = Zosim. V, 3—8). Denique confer ea, quae uterque de Rufini et Stilichonis administratione scribit, videbis nostrum in Eunapii verbis haesitare, Zosimum auctori liberius retractando studere. Eunap. fr. 63: *ἦσαν δὲ οὗτος (Ῥουφῖνος) τε καὶ Στελίχων ἐπίτροποι τῶν Θεοδοσίου παίδων. ἄμφω δὲ τὸ πάντα συνήρπαζον, ἐν τῷ πλούτῳ τὸ κράτος τιθέμενοι, καὶ οὐδεὶς εἶχεν ἴδιον οὐδὲν, εἰ μὴ τούτοις ἔδοξε· δίκαι τε ἅπασαι πρὸς τούτων ἐδικάζοντο, καὶ πολὺς ἦν ὄχλος τῶν περιθεόντων, εἴ που τινι χωρίον κάλλιστον ὑπάρχοι παντομιγές τε καὶ εὔκαρπον· καὶ ὁ δεσπότης εὐθὺς συνήρπαστο.* = J. fr. 188: *ὅτι οἱ ἐπίτροποι Ἀρκαδίου καὶ Ὁνωρίου Ῥουφῖνος καὶ Στελίχων ἄμφω τὰ πάντων συνήρπαζον, ἐν τῷ πλούτῳ τὸ κράτος τιθέμενοι, καὶ οὐδεὶς εἶχεν ἴδιον οὐδὲν, εἰ μὴ Ῥουφίνῳ καὶ Στελίχωνι ἔδοξε. δίκαι τε ἅπασαι πρὸς τούτων ἐκρίνοντο καὶ πολὺς ἦν ὄχλος τῶν περιθεόντων, εἴτ' ᾧτινι χωρίον κάλλιστον ἦν, καὶ ὁ δεσπότης εὐθὺς συνηρπάζετο.* Apud Zosimum (V, 1) eaedem res leguntur neque vero eadem verba praeter haec: *δίκαι τε πᾶσαι παρ' αὐτοῖς κατ' ἐξουσίαν ἐκρίνοντο.* Quae cum ita sint, Ioannes et Zosimus, ubi ad verbum congruunt, ambo Eunapium ad verbum transscripsisse putandi sunt. Ubi alter ab altero longius recedit, ibi acurate inquirendum est, utri maior fides iniungenda sit. Exstant enim apud Ioannem nonnullae rerum depravationes. Perverse apud eum Stilicho Alarichum in Peloponneso commeatu interclusum devicisse narratur. Apud Zosimum legitur: Stilicho Alarichum *ῥᾷστα διέφθειρε ἂν σπάνει τῶν ἀναγκαίων*, nisi se ipsum remisisset militumque disciplinam laxasset (J. A. fr. 190 = Zosim. V, 7). Perverse Ioannes (fr. 187) Arbogastem Baudonis filium appellat. Nam cum Zosimo (IV, 53), qui eum Baudonis *ὑποστρατηγόν* fuisse scribit, facit Eunapius (fr. 53) narrans eum Baudonis *δευτεραγωνίστην* fuisse. Zosimus (IV, 54) narrat Valentinianum II *ἐν Βιέννῃ, Κελτικῇ πόλει*, esse interfectum. Ioannes (fr. 187) Viennae substituit *πολισμάτιον Ἰταλικὸν, Βέρ-*

ναν λεγόμενον. Denique apud Ioannem (fr. 187) legitur, Theodosium, antequam Eugenii exercitum inopinato impetu opprimeret, deo supplicasse. Neque Zosimus huius supplicationis mentionem fecit neque Eunapius, utpote vir paganus et Christianis infestissimus, tale quidquam scribere potuit. Unde suspicio oritur, non verum et genuinum Eunapii opus ab Ioanne esse exscriptum. Vidit autem Photius (cod. 77) duas Eunapii recensiones animadvertitque in secunda plurimos locos, ubi Eunapius religioni Christianae effrenate insultaverat, esse recisos Hanc mutilatam recensionem non ab ipso scriptore, ut Photius credidit, sed a Christiano aliquo bibliopola profectam esse Niebuhrius (praefat. ad Eunap. p. XIX) probabiliter statuit. Neque aegre mihi persuadeo historias Eunapii ab eodem bibliopola retractatos et interpolatos esse ad fidem Christianam. Quod si concedas, apparet, unde commemoratio precum Theodosii ab Ioanne sumpta sit. Illud certum est Ioannis eclogas ex deteriori Eunapii exemplari fluxisse. Nihilominus non sine fructu sunt et ad perspiciendum, quaenam Zosimus ex Eunapio ad verbum transscripserit, et ad coarctandam eam lacunam, quae inter Zosimi libros primum et secundum hiat. Ioannis enim fr. 160 ab iisdem verbis incipit, in quae Zosimi editiones mutilae desinunt. Restat, ut enumerem, quae Ioannis frgma. ex Eunapio fluxerint: fr. 152, § 2 = Zos. I, 39; § 3 = Z. I, 40; 153 = Z. I, 41; 154 = Z. I, 47; 157 = Z. I, 63; 158 § 2 = Z. I, 66; 159 = Z. I, 67; 160 = Z. I, 71; 162 = Eunap. fr. 4; 163 = Eunap.; 183 = Eunap. fr. 30; 186 § 2 = Z. IV, 35; 187 = Z. IV, 53—58 = Eunap. fr. 53; 188 = Eunap. fr. 63 = Zos. V, 1; 189 usque ad *καί ποτε καὶ τούς* = Eunap.; 190 usque ad *τότε Γαϊνας ὁ τῶν ἑῴων* = Z. V, 3—8.

Praeter Socratem et Eunapium Ioannes etiam Procopium in rebus saeculi quinti enarrandis adhibuit. Sed adhuc duo tantum frgma. edita sunt, quae ex illo fluxerunt: fr. 196 = Proc. b. Vandal. I, 3; fr. 200 = Proc. b. Vandal. I, 4.

Priscus. 8. Venio nunc ad eos fontes, ex quibus optimum quodque Ioannis fragmentum de rebus saeculi quinti fluxit.

Ac primum apparet frgma. 191, 194, 198 ex eodem fonte esse derivata, quippe quibus imbecillum atque iniquum Theodosii II imperium, dominatio atque avaritia eunochorum, quibus ille inserviebat, inprimis Chrysaphii, eodem modo, eadem cum ira et amaritudine describatur. Hunc autem fontem esse Prisci historiam Byzantinam ea arguunt, quae in frgmo. 198 de Attilae molitionibus contra Chrysaphium subiiciuntur. Eadem enim in Constantianis ex Prisco excerptis (fr. 8, p. 319, fr. 12—14) leguntur. Confer etiam, quae Priscus scribit, ubi conditiones pacis a. 447 inter Theodosium II et Attilam iunctae recenset (fr. 5, p. 283: *ταύτας προςεποιοῦντο μὲν ἐθελονταὶ Ῥωμαῖοι τὰς συνθήκας τίθεσθαι, ἀνάγκῃ δὲ καὶ ὑπερβάλλοντι δέει, ὅπερ κατεῖχε τοὺς σφῶν ἄρχοντας, πᾶν ἐπίταγμα καίπερ ὂν χαλεπὸν, τυχεῖν τῆς εἰρήνης ἐσπουδακότες ἠσμένιζον κτλ.*), concedes ab eodem auctore ea profecta esse, quae apud Ioannem de Theodosii II imbecillitate et iniquitate leguntur. Nemo alius tanta cum acerbitate et veritate hunc imperatorem depinxit. Itemque e Prisco sumtum est frgm. 199, quippe quo Prisci relatio inde ab iis ipsis verbis continuetur, in quae ecloga Constantin. (fr. 14) desinit. Prisc. fr. 14: *ὅτι Θεοδόσιος ἐδεδίει μήποτε καὶ Ζήνων τυραννίδι ἐπιθήσεται* = J. A.: *ὅτι Θεοδόσιος ὁ νέος πρὸς Ζήνωνα ἐχκλέπαινεν· ἐδιδίει γὰρ μήποτε καὶ τυραννίδι ἐπιθῆται.* Agitur hic de Zenone illo Isaurorum duce, quem Theodosius II, ut Isaurorum animos armaque sibi conciliaret, magistrum militum orientis fecerat. In Prisci frgmis. (fr. 8, p. 320, fr. 12, 13 p. 326) refertur, unde discordiae inter illum et imperatorem ortae sint. Conflagraverunt autem ea re, quod Zeno iniuria affectus Chrysaphium eunuchum ab imperatore ad poenam depoposcerat. Quamobrem imperator coepit metuere, ne Zeno tyrranidem appeteret. Quae deinceps secuta sint, apud Ioannem leguntur. Etenim Theodosius, quamvis indulgens in ceteros esset, impotens irae fuit non modo in eos, qui regnum appeterent, sed etiam qui regno digni haberentur. Propterea Baudonem et Danielem deportaverat, propterea Zenonem delendum esse ratus Maximinum cum exercitu terrestri Isauropolim misit ad castella eius regionis praeoccupanda simulque mari classem

in orientem direxit. Neque destituit bellum parare, donec gravius ab Attila periculum immineret. Vides, quid hoc frgm. conferat ad lacunas historiae saeculi V[i] partim coarctandas partim detegendas. Praeter nostrum nemo de bello illo civili retulit, nemo Baudonis et Danielis mentionem fecit, noster autem ita, ut tenuitatem frgmorum eius valde doleamus. Deinceps narratur, quamobrem Honoria, soror Valentiniani III, Attilam contra imperium Romanum concitaverit. Haec enim, cum ab Eugenio cubiculario stuprata esset, et illum capite poenam luere vidit et ipsa coacta est, ut Herculano, viro consulari, homini hebeti, nuberet. Itaque furore incensa clam misso Hyacintho eunucho Attilam invitavit, ut ipsam liberaret sibimetque ut coniugem consociaret. Atque Attila promisit se in fines Romanos esse irrupturum. Quo nuntio allato Theodosius Valentinianum cohortatus est, ut Honoriam Attilae collocaret. Sed Honorius Hyacintho eunucho torto et interfecto Honoriam matri deprecanti impunem dedidit. Ita desinit frgm. Ioannis, quod quanto acuratius et copiosius sit confusa narratione, quam Iordanis (Getic. 42) eadem de re ex Prisco exprompsit, ipse videas. Maximi vero momenti ea sunt, quae Ioannes de rebus occidentis inde ab a. 454 gestis a Prisco mutuavit. Priscum his in rebus enarrandis accurate atque exquisite versatum esse frgma. eius, quae supersunt pauca, evincunt (24, 27, 29, 30, 31, 40). Quibus cum duo Ioannis excerpta ad verbum respondeant, cetera autem earundem rerum serie cum his cohaereant, eiusdemque auctoris ingenium prae se ferant, probabiliter colligitur omnia Ioannis excerpta quae ad res occidentis inde ab Aetii caede usque ad elevationem Nepotis pertinent, e Prisco esse derivata. Ad verbum cum Prisco congruunt fr. 203 et 204, quae ad imperium Maioriani et interregnum Ricimeri, quod deinceps secutum est, pertinent. Prisc. 27: *ὅτι Μαιοριανὸς ὁ τῶν ἑσπερίων Ῥωμαίων βασιλεὺς, ὡς αὐτῷ οἱ ἐν Γαλατίᾳ Γότθοι σύμμαχοι κατέστησαν, καὶ τὰ παροικοῦντα τὴν αὐτοῦ ἐπικράτειαν ἔθνη τὰ μὲν ὅπλοις τὰ δὲ λόγοις παρεστήσατο* = J. 203: *ὅτι Μαιουρῖνος ὁ τῶν ἑσπερίων βασιλεὺς, ὡς αὐτῷ οἱ ἐν Γαλατίᾳ Γότθοι σύμμαχοι κατέστησαν, καὶ τὰ παροικοῦντα ἑαυτοῦ ἐπικρατείᾳ ἔθνη*

τὰ μὲν λόγοις τὰ δὲ ὅπλοις παρεστήσατο. Prisc. 29 = J. A. fr. 204. Quae in fr. 200 de Avito narrantur, Priscum auctorem ea re arguunt, quod Ioannes Avitum multitudine domesticorum Gallorum et auxiliis sociorum Gothorum nisum esse refert. Nam apud Priscum (fr. 24) legitur Avitum fuisse *πλήθει τε οἰκείῳ πίσυνον καὶ τῇ τῶν συμμάχων ἐπικουρίᾳ.* Quae in fr. 201 de caede Aetii et Valentiniani et Gaiserichi in Romam irruptione referuntur, quantum distent a Procopii fabulis, quas Ioannes in fr. 200 exscripsit, nemo non videt. Nec minus distant a narratione Eustathii Epiphaniensis, quam infra recensebimus. De alio igitur scriptore Graeco praeter Priscum ne cogitari quidem potest. Illum autem haec pertractavisse ea re procul dubio est, quod frgm. eius 24 direptionem Romae utpote antea enarratam respicit. Denique quae Ioannes in fr. 207 et 209 de Anthemio et qui ei successerunt, habet, tam arcte inter se cohaerent, ut unum quidque ex eodem fonte fluxisse putandum sit. Constat autem et eclogis Constantinianis (Prisc. fr. 40) et Euagrii (II, 16) testimonio bellum illud Vandalicum a. 468 exortum, quod Ioannes in fr. 217 ut antea enarratum respicit, et omnes res Anthemii a Prisco esse enarratas. Probabiliterque Niebuhrius (praefat. ad Prisc. p. XXVIII) statuit Prisci historias non substitisse ante a. 474, quippe a quo Malchus initium historiae suae fecerit. Quare nihil obstat, quominus frgma. Ioannis 217 et 218 usque ad eundem annum 474 uno tenore pertinentia Prisco vindicemus. Ad confirmandam hanc sententiam frga. Ioannis cum iis, quae Eustathius ex Prisco exprompsit, conferemus.

De Eustathio Epiphaniensi.

9. Euagrius (V, 24), postquam scriptores recensuit, Characem, Theopompum, Ephorum, Dionysium Hal., alios, denique Zosimum et Priscum, subiicit haec: *ἅπερ ἅπαντα Εὐσταθίῳ τῷ Ἐπιφανεῖ ἐπιτέτμηται πανάριστα ἐν δύο τεύχεσιν, ἑνὶ μὲν ἕως ἁλώσεως Ἰλίου, τῷ δὲ ἑτέρῳ ἕως δωδεκάτου ἔτους τῆς Ἀναστασίου βασιλείας.* Eustathius igitur historias suas usque ad a. 502 p. Ch. deductas cum ex aliis scriptoribus tum e Prisco consarcinavit. Ex Eustathio autem Euagrius breviaria historiae profanae, quae rebus ecclesiasticis interponit, exscripsisse se ipse multis locis testatur

(I, 19, II, 15, III, 26 etc. v. Dindorf, historici Graeci minor. I, p. 352 sqq.). Quare vix dubium est, quin etiam eos auctores, quos praeter Eustathium in rebus civilibus laudat, ex Eustathio, qui eos in compendium redegerat, commemoret. Inter hos Priscus cum aliis de rebus (I, 17; II, 1, 5, 13), tum de imperio Anthemii (II, 16) citatur. Unde colligitur Priscum ab Eustathio etiam in ceterorum occidentis imperatorum rebus esse adhibitum. Si recte igitur Ioannem has ipsas res ex Prisco exprompsisse statuimus, necesse est consensum inter Ioannem et Eustathium intercedere graviorem quam qui ex ipsa rerum natura fortuito manare soleat. Et profecto uterque (J. A. fr. 202 — Euagr. II, 7) Avitum menses 8 regnasse et peste interemptum esse, uterque (J. A. fr. 209 § 1 — Euagr. II, 16) Anthemium annos 5 regnasse narrat. Contra ceteris fontibus constat Avitum menses 15 regnasse et sua morte esse defunctum, Anthemium autem regnasse annos 4 et menses 3 [1]). Quare procul dubio ponitur Ioannem aeque atque Eustathium his de rebus Prisco usum esse.

Sed ne credas Ioannem ex Eustathio sua hausisse, cetera quae apud utrumque exstant, paucis recensenda sunt. Conferenti igitur ea, quae Euagrius (III, 25) de morte Theodorici, Triarii filii, ex Eustathio se exscripsisse testatur, cum Theophanis (p. 195 ed. Bonn.) de eadem re narratione apparet Theophanem quoque ex Eustathio sua hausisse [2]). Quare omnia, quaecunque inter Euagrium et Theophanem accurate congruunt, ex Eustathio fluxisse putanda sunt, quamquam is a Theophane nusquam, ab Euagrio non omnibus his locis nominatur (cfr. e. gr. Theoph. p. 186 et Euagr. III, 1 de primordiis imperii Zenonis). Cum utroque autem Zonaras multis locis ita congruit, ut ipse quoque haud dubie Eustathio usus sit (Zonar. III, p. 249, 250, 251, 253 = Theoph.

---

[1] Avitus imperator levatur a. 455, VI id. Iul. secundum Anonymum Cuspiniani, a. 455 VII id. Iul. secundum Prosperi continuatorem Havniensem; Avitus purpura exuitur a. 456 XVI kal. Nov. secundum Anonym. Cuspin, a. 456 XV kal. Nov. secundum Prosperi continuat. [2] Conferas etiam de elevatione imperatoris Anastasii Theoph. p. 210 cum Euagr. III, 29, qui hoc quoque loco Eustathium nominat.

p. 167, 183, 179, 178, 180). Ubi igitur ad verbum cum Theophane congruit (Zon. III, p. 249 = Theoph. p. 167), ibi verba Eustathii habemus. Illud quidem non praetermittendum est, ab unoquoque horum scriptorum praeter Eustathium alios quoque auctores, passim de iisdem rebus esse adhibitos. Exempli causa Euagrius (II, 7) de caede Valentiniani, Theophanes (p. 179) de expeditione Basilisci contra Gaiserichum cum Eustathio iunxit Procopium[1]). Sin autem ea, quae inter Euagrium, Theophanem et Zonaram accurate congruunt, a ceteris aliunde petitis accurate segregantur, Eustathii chronicon potest restitui. Constat, ut hoc afferam, consensu illorum scriptorum, res Zenonis ab Eustathio cum acerbitate descriptas et cum levitate esse detortas. Notavit ipsa primordia imperii Zenonis ea re, quod, dum imperator foedis voluptatibus et nefariis facinoribus indulgeret, Saraceni Mesopotamiam, Hunni Thraciam populati essent (Euagr. III, 1—2 = Theoph. p. 186). Deinde narrat Zenonem turpissima sua vita etiam in familiarium odium ita incurrisse, ut ab iis regno deturbaretur. Rebellasse autem contra eum Basiliscum operam ferentibus Verina Augusta et quodam e senatoribus. Ac tantum abfuisse, ut Zeno rebellantibus obsisteret, ut timide ignaveque e regno profugeret (Euagr. III, 3; Theoph. p. 186 sqq.; Zonar III, p. 255). Vides quanto cum odio et acerbitate haec descripta sint. Levissime vero detorta sunt temporum ordo et veritas rerum eo, quod in primo loco ponitur mors Theodorici, Triarii filii (Euagr. III, 25; Theoph. p. 195), tum deinceps hoc ordine seditio Marciani (E. III, 26; Th. p. 196), relegatio Verinae et Spanicii contra Illum insidiae (E. III, 27; Th. p. 197). Narratur autem Verinam a Zenone genero innumeris insidiis appetitam tandemque Illo auctore in exilium pulsam esse. Quare Ariadnam, Zenonis uxorem, ut matrem vindicaret, Urbicio cubiculario adiutore perfecisse, ut Spanicius Illum gladio

---

[1] Theoph. hoc loco Priscum auctorem nominat. Quoniam hic ab Euagrio (II, 16) de eadem expeditione citatur, perspicuum est hanc citationem ab utroque exscriptam esse ex Eustathio.

peteret. Sed cum Illus levi vulnere accepto vivus evasisset, Zeno ei non modo Spanicium ad poenam tradidit, sed etiam permisit, ut valetudinem praetexens in orientem abiret. Hanc Illus potestatem nactus atque etiam praefecti orientis munere indutus, in Isauria palam seditionem contra Zenonem movit et Leontium imperatorem renuntiavit (E. et Th. l. l.; Zonar. III, p. 257). Ab hac Eustathii narratione Ioannes Antiochenus mirum quantum abhorret.

Candidus. 10. Quae Ioannes de rebus Zenonis habet, sine odio et studio scripta sunt atque indulgentiam magis quam severitatem scriptoris arguunt. Quare cum omnes, qui haec ex Eustathio exscripserunt, invidiam et severitatem prae se ferant, Eustathius pro fonte Ioannis haberi non potest. Huc accedit, quod Ioannes res longe alio et eo quidem, ut infra exponemus, vero ordine inter se digessit. Primo in loco ponit Epinicii (non Spanicii) contra Illum insidias, deinde relegationem Verinae, tum seditionem Marciani, tum mortem Theodorici, tum denique Illi contra Zenonem rebellionem (fr. 211, 214). Narrat non Illum Verinae, sed Verinam Illo insidias struxisse ac primum quidem per Paulum domesticum, de quo Eustathius nihil habet, deinde per Epinicium. Epicinius autem apud Ioannem non ipse Illum aggressus est, sed hominem Alanum conduxit ad caedem faciendam. Quo percussore ad irritum redacto Epinicius Illo, cum ei a Zenone traditus esset, nefaria Verinae consilia aperuit. Ea re nisus Illus a Zenone impetravit, ut Verina in exilium pelleretur. Verinae relegationem praetexens Marcianus rebellavit operam ferento Theodorico. Marciano devicto tum demum Theodoricus mortuus est. Pluribus denique annis post haec circum actis tum Illus tyrannidem affectavit. Hanc Ioannis narrationem non ex Eustathio fluxisse quis est quid videat? Fortasse igitur aliquis de Malcho cogitaverit. Sed is res 7 tantum annorum inde ab a. 474—480 complexus est et ipse quoque ignaviam probraque Zenonis gravius Ioanne castigavit. Et narrationes amborum, ubi inter se conferri possunt, valde differunt. Exempli causa Ioannes (fr. 210) Heraclium prope Chersonesi murum a Theodorico interfectum esse refert, Malchus (fr. 4 ed. Dindorf) necem illius non ipso

Theodorico, sed nonnullis Gothis in illum iratis crimini dat narratque eam ad Arcadiopolim perpetratam esse. Unde apparet Malchum inter fontes Ioannis non esse numerandum. Reputanti mihi igitur res Zenonis Isaurici ab Ioanne sine ulla obtrectatione, cum aequitate atque cum aliqua benevolentiae specie esse enarratas, eas autem quae ad Isauros pertinent amplius ceteris esse pertractatas suspicio oritur, auctorem Ioannis ipsum fuisse Isaurum. Et conferenti mihi illa, in quibus Ioannes a ceteris rerum Zenonis scriptoribus abhorret, cum iis quae Photius (cod. 79 Dindorf, hist. Graec. min. I, 441) ex Candidi Isaurici historia, quae res Leonis I et Zenonis complexa est, exscripsit, non dubium esse videtur, quin Ioannes Candido usus sit. Uterque res ad eundem temporum ordinem redigit, uterque eadem ratione exponit, unde singula orta sint et quomodo cohaereant. Uterque pariter enarrat, quomodo Verina sperans se Patricio magistro nupturam et imperium naturam Zenonem generum per fraudem ex urbe regnoque fugaverit. Uterque primo in loco ponit Verinae contra Illum insidias, ex quibus deportatio Verinae redundaverit, tum, ut posteriorem, rebellionem Marciani, denique civile inter Zenonem et Illum bellum. Atque etiam in eo consentiunt, quod Verina Urbicio adiutore Epinicium, is autem hominem Alanum ad Illum gladio petendum concitavit. Quoniam autem haec omnia apud breviatores Eustathii longe aliter se habent, hic inter Ioannem et Candidum consensus non ex ipsa rerum natura fluxisse putandus est. Atque Candidum non modo in his rebus, quae in Photii epitome exstant, sed etiam in ceteris quae cum his cohaerent, adhibitum esse ipsa rerum cohaerentia apud Ioannem evincit. Statuo igitur e Candido derivata esse frgma. 206 § 1, 210—214. Ac ne quis Photii iudicio nisus dixerit Candidum stylo ab historia alieno et poetarum phrasibus accomodato scripsisse, Ioannem autem nullum huius scriptionis indicium prae se ferre, repetendum est, id unde digressi sumus, Ioannem omnia quae ab auctoribus suis copiose atque ornate dicta sunt, amputare esse solitum. Fragma. 205, 206 § 2, 208 utrum e Prisco an Candido hausta sint, in dubio relinquam, quamquam verisimile est fr. 205 ex

Prisco, fr. 206 § 2 inde a verbis ὁ δὲ τοῦ βασιλέως γαμβρός ex Candido esse expromptum.

Restant ultima 5 Ioannis fragma, quae ad res Anastasii, Iustiniani et Phocae pertinent. Sed haec tam tenuia sunt, ut quonam ex fonte fluxerint, non antea inquirendum sit quam cetera quae ad easdem res spectant, in lucem edita sint.

III.

Quoniam exposuimus Ioannem Antiochenum historiam saeculi quinti ex optimis et iis quidem hodie non integris fontibus hausisse, inquiramus nunc, id quod tertium nobis est propositum, quid novi ad historiam illius saeculi conferat. Sed cum ea, quae noster de rebus Theodosii secundi habet, supra perlustrata sint, agitur hic de iis tantummodo fragmentis, quae ad res inde ab anno 454 usque ad a. 488 gestas pertinent. Haec autem fragmenta cum non continuam omnium rerum seriem praebeant, ita nobis recensenda sunt, ut eas res quae apud Ioannem exstant acurate pertractemus, ceteras, quae cum his laxius cohaerent, obiter perstringamus.

A. Quid Ioannes ad cognitionem rerum occidentis inde ab a. 454—474 gestarum conferat.

1. Initium nobis capiendum est a caede eius viri, cum quo imperium occidentis concidisse iam veteres perspexerunt [1]). Aetius, cum imperium occidentis fortiter contra hostes defenderet, imperatorem domi omni auctoritate nudaverat ipse rerum potitus. Ad potentiam eius infringendam Placidia, mater Valentiniani III, et suam et aliorum auctoritatem interposuit. Itaque cum Aetium magistrum militum fecit, tum simul Felicem amplioribus patriciatus honoribus ornavit [2]) commovitque ut Aetio insidias strueret [3]). Sed is Felicem interficere praeoccupa-

[1] Marcellin ad 454. [2] Prosper Aquit. ad 429. [3] J. fr. 201, p. 614 aliunde non notum.

vit [1]). Neque meliore cum eventu Placidia partes Bonifacii est complexa. Nam ille paulo postquam Aetium armis consertis vicit, mortem occubuit. Aliquamdiu quidem Aetius novis insidiis appetitus, et Italia et potestate sua cessit. Sed paulo post Hunnorum auxiliis stipatus perfecit, ut ipse in gratiam reciperetur, Sebastianus, gener Bonifacii, aula regia pelleretur [2]). Quin et patriciatus dignitatem [3]) nactus denuo summam rerum tenuit. Iam vero Placidia mortua [4]) Valentinianus III Aetii consiliis inserviebat. Ille igitur, domi bellique rebus prospere gestis, ad maiores spes animum excitavit. Pepigit cum imperatore, ut Gaudentio filio suo Eudocia filia illius desponderetur [5]). Sed hoc ipsum pactum invidiis atque odiis alimenta addidit. Nam ex hoc molitiones illae aulae regiae a Sidonio Apollinari [6]) commemoratae redundasse videntur, quibus pater Maioriani, eius qui postea imperator factus est, ab Aetio, cuius negotia procurabat, abalienaretur. Ipsum autem Maiorianum Gaudentio rivalem exstitisse idem scriptor (carm. V, p. 315) significat, ubi coniugem Aetii introducit querentem: »Quid faciam infelix, nato quae regna parabo Exclusa sceptris Geticis, respublica si me Praeterit et parvus super hoc Gaudentius huius (Maioriani) Calvatur fatis?« Cum his compone, quod Aetio interfecto Maiorianus mercennarios eius in partes imperatoris traduxit [7]), et quod Valentiniano interempto Eudoxia Augusta Maiorianum imperatorem elevare est conata [8]): concedes domum regiam Maioriano potius quam Gaudentio studuisse et propterea illud de Eudocia pactum aegre tulisse. Quid igitur mirum, quod obtrectationes contra Aetium pronis auribus accipiebantur? Prosper (ad 454) nobis auctor est Heraclium eunuchum Valentiniano, cuius animum insincero famulatu sibi adstrinxisset, facile persuasisse, ut si ipse regnum et vitam tueri vellet, Aetii molitiones praeoccuparet. Idatius

---

[1] Prosp. Aqu. ad 430, Marcellin ad 430; Idatius ad 430.
[2] Prosp. Aqu. et Tiro ad 432 et 434, Marcellin ad 432 et 435, Idatius ad 432. [3] Idat. ad 433. [4] Prosp. Aqu. ad 450, Idat. ad 450.
[5] Prosp. Aqu. = Tiro ad 454. [6] carm. V, p. 312 ed. Sirmondi.
[7] Sidon. carm. V, p. 318. [8] J. fr. 201 § 6.

ad 455 et Marcellinus ad 455 machinationes contra Aetium Petronio Maximo tribuunt, viro nobilissimo genere nato, qui cum et divitiis et eruditione floreret, ad summos honores praefecti, bis consulis, denique patricii ascenderat[1]. Hanc scriptorum differentiam Ioannes[2] explicat. Heraclius et Maximus, cum ambo pari ambitione accensi potentiam Aetii sibi uterque vindicare studerent, coniuraverunt et calumniis in Aetium Valentinianum moverunt, ut illum dirimeret. Quomodo caedes perpetrata sit, varie narratur. Nonnulli Aetium insidiose in palatium accitum esse scribunt[3]. Prosper illum, cum quando causam filii commotius ageret, imperatoris manu et circumstantium gladiis interfectum esse refert. Si Ioannem[2] sequimur, Valentinianus, cum ei Aetius rationem vectigalium redderet, de sello prosiluit clamitans nolle se diutius his ineptiis ab eo vexari, qui et occidentis et orientis regnum appeteret. Ita locutus inopinatum illum gladio percussit Heraclio operam ferente. Utut id est, constat Aetium imperatoris manu simulque Boethium, praefectum praetorio, qui illi amicissimus erat, vita esse privatos[4]. Corporibus amborum in forum proiectis statim senatus convocatus est. Veritus enim imperator, ne tumultus concitaretur, caedem Aetii criminationibus excusandam esse putavit[2]. Eodem haud dubie consilio legatos ad nationes barbaras intra fines Romanos habitantes direxit[5]. Tanta Aetii et in urbe et in provinciis auctoritas fuit, ut caedem eius perturbatio omnium rerum secutura esse videretur. Proximum periculum ab Hunnis, qui apud illum stipendia fecerant, imminuit. Itaque Maiorianus illos, ut imperatori consociaret, in turmas palatinas adscivit. Sed animi eorum imperatori non sunt conciliati[6]. Quare Maximo facile contigit, ut illos contra imperatorem sollicitaret. Prosper[7]

---

[1] Sidon. ep. II, 13; Prosp. Aqu. ad 455; J. fr. 201 § 1; Tillemont, histoire des empereurs VI, p. 257. [2] fr. 201. [3] annales Ravennates = Cassiodor ad 454, Marcellin ad 454, Victor Tunn. p. 340 ed. Roncalli; Idat. ad 454. [4] J. A.; Idat., Prosp. Aqu. ceteri l. l. Idatius aliquos honoratos peremptos esse refert; XI k. Oct. 454 secundum Prosperi continuatorem Havniensem (ed. Hille), ad 454. [5] Idat. ad 454. [6] Sidon. carm. V, p. 318. [7] ad 455.

Maximum consilia scelesta in imperatoris interitum contulisse diserte quidem non dicit, sed ea re significat, quod percussores Valentiniani ab illo non modo non punitos sed etiam in gratiam receptos esse refert. Idatius, Victor [1]), Marcellinus, Iordanis [2]) Maximum auctorem caedis exstitisse testantur. Cohaerentiam rerum iterum unus Ioannes [3]) docet. Heraclius et Maximus eadem ambitione, qua contra Aetium iuncti erant, illo interempto inter se distracti sunt. Itaque cum Maximus ab imperatore peteret, ut consul designaretur aut patricius [4]) crearetur, Heraclius omnia eius consilia ad irritum redegit, imperatorem adhortatus, ne potentiam Aetii vix deletam alii vindicaret. Maximus hanc repulsam aegre ferens Optilam et Thraustilam, armigeros familiaresque Aetii [5]) concitavit, ne imperatorem, utpote qui Aetium interemisset, impunitum dimitterent. Itaque cum Valentinianus cohortibus praetorianis et turmis Optilae Thraustilaeque stipatus in campum Martium equo vectus esset et sagittandi ludo intenderet, Optilas a tergo eum aggressus gladio cecidit. Simul Heraclius a Thraustila trucidatus est. Cohortibus praetorianis ignave circumstantibus percussores impunes evaserunt et equum diademaque imperatoris ad Maximum detulerunt. Cum hac Ioannis narratione ceteri auctores congruunt, nisi quod Prosper [6]) Valentinianum, cum invaderetur, ludo gestationis intendisse, Gregorius Turonensis [5]) eum ad populum concionatum esse contendit. In annalibus Ravennatibus [7]) scriptum erat caedem perpetratam esse in campo Martio pro tribunali ad duas lauros. Creationem novi imperatoris tumultuariam unus Ioannes [3]) describit. Milites in duas partes discesserunt. Alii Maximo studuerunt, alii Maximiano, filio Domnini, negotiatoris Aegyptiaci, et qui domesticus Aetii fuerat. Eudoxia, vidua Valentiniani, Maio-

---

[1] Victor Tunn. p. 340 confuse etiam Heraclium culpae affinem fuisse scribit. [2] Get. c. 44. [3] fr. 201. [4] at Maximus etiamtum patricius fuit, v. p. 44 nota 1. [5] de his v. Prosp. continuat. ad 455, Gregor. Tur. II, 8, Marcellin ad 455; nomina varie scribuntur. [6] ad 455. [7] Prosperi continuator ad 455, Prosperi chron. August. p. 702 ed. Roncalli, chron. Paschale ad 455.

riano suffragata est. Sed Maximus largitionibus in milites perfecit, ut ipse imperator crearetur.

Hac Ioannis narratione apparet, unde interitus Valentiniani et Aetii orti sint et quomodo cohaereant. Donec Ioannes in tenebris iacebat [1]), historici tenues Prosperi ceterorumque notitias narratiunculis credulorum Graecorum illustrandas esse putaverunt. Sed hae narratiunculae fabularum speciem prae se ferunt. Apud Eustathium [2]) Valentinianus omnibus libidinibus se dedit, suam uxorem negligit, alienis mulieribus per artes daemonicas abutitur. Quare foedissimo mortis genere plectitur a Maximo, nepote illius, qui sub Theodosio magno tyrannidem affectaverat. Apud Procopium (b. Vandal. I, 4), quem Ioannes (fr. 200) praeter Priscum adhibuit, idem argumentum, sed magis concretum et uberius redditum reperimus: Valentinianus pulcherrima et pudicissima Maximi uxore abuti studet. Ad hunc finem, cum alea magnum lucrum a Maximo fecisset et anulum eius pignori accepisset, uxorem eius hoc pignore pellexit, ut in palatium veniret. Ibi vim ei attulit. Maximus autem ratus se poenas ab imperatore non posse repetere, donec Aetius viveret, illum primum dirimere decrevit. Maximi et eunuchorum calumniis imperator impulsus est, ut Aetium sua manu occideret. Caede facta, cum unum e Romanis rogasset, nonne praeclarum hoc factum esset, responsum ei est: utrum praeclare annon, haud scio; id autem intellego te laeva manu dextram abscidisse. Tum vero Maximus Valentianum interfecit et ipse regnum occupavit. Hactenus Procopius [3]). Euagrius (II, 7) relationes Procopii et Eustathii ita iunxit, ut Aetio interfecto tum demum Valentinianum uxori Maximi vim attulisse enarret. Tillemontius (VI, p. 256) et Gibbonius (cap. 35) has fabulas quamvis addubitantes tamen pro veris exscripserunt. Vera rerum cohaerentia ab Ioanne nobis patefecta est.

---

[1] primus et unus eo usus est E. de Wietersheim, Gesch. der Völkerwanderung IV, sed non ita, ut par erat. [2] Theoph. p. 167 = Zonar. III, p. 249. [3] eadem Suidas refert sub v. *Θλαδίας*, quod fragmentum Prisco sine ulla ratione vindicatum est.

2. Maximus, siquis eum periclitanti reipublicae per omnia profuturum esse speraverat [1]), hanc spem mox fefellit. Valde animos Romanorum offendit, quod percussores Valentiniani non modo non punivit, sed etiam in amicitiam recepit [1]). Quod Palladium filium Caesarem nominavit et cum Eudocia, filia Valentiniani, coniunxit [2]), haud ita crimini erat. Cum vero regnum firmiter fundatum esse ratus viduam Valentiniani mortem mariti lugere vetaret cogeretque, ut sibi nuberet [3]), hac immodestia omnium animos a se abalienavit. Eo accessit, ut machinationes eius contra Aetium et Valentinianum detegerentur [2]). Indignationem omnium tumultus populi et militum sequebantur [4]). Haec autem perturbatio nationes barbaras non fugit. Burgundiones [5]) ceteraeque gentes intra Gallias habitantes in fines Romanos irruerunt; quamobrem Maximus Avitum, senatorem Arvernum, magistrum militum Galliae fecit eiusque arbitrio hostes aut defendendos aut placandos commisit [6]). Maxima vero celeritate et fortitudine Gaiserichus, rex Vandalorum, hanc occasionem accipuit. Ex quo Carthaginem ditionis suae fecerat, animos armaque Vandalorum ad mare intenderat et continuis praedationibus littora maris interni infestaverat, donec imperatores Romani has vexationes non armis, sed conditionibus coercerent [7]). Tum vero Gaiserichus morte Valentiniani pacta soluta esse ratus et novi imperii infirmitate confisus, ipsam Romam invadere decrevit. Fama celerius navibus magno Vandalorum Maurorumque numero completis haud procul Roma ad Azestum appulit [8]). Terror totam urbem invasit. Nobiles popularesque aufugerunt. Et Maximus tantum abfuit, ut fugientibus obsisteret, ut ipse fuga salutem peteret [1]). Tum vero seditio indignantium exarsit [9]). Satellites et amici, quibus maxime confidebat, fugientem deseruerunt [10]). Opprobriis circumstantium agitatus, cum

---

[1] Prosp. Aq. ad 455. [2] Idat. ad 455. [3] Prosp. Aq. ad 455; J. fr. 201. [4] Sidon. ep. II, 13; Idat. ad 455. [5] Prosp. continuat. ad 455; cfr. Litterar. Centralblatt 1870, p. 702 contra Binding, burgundisch-romanisches Königreich p. 50. [6] Sidon. carm. VII, p. 342 sqq. [7] Papencordt, Gesch. der vandal. Herrschaft in Afrika, p. 74 sqq. [8] J. fr. 201. [9] Idat. ad 455. [10] J. fr. 201.

extra muros equo veheretur, lapidis ictu prostratus est. Corpus eius a multitudine membratim discerptum et in Tiberim praecipitatum est [1]). Triduo post Gaiserichus exercitum ante moenia urbis praesidiis nudata movit. Leo episcopus ei obviam progressus, cum urbem traderet, id quidem effecit, ut ab igni et caede abstineretur [2]). Sed per quattuordecim dies Roma a Vandalis spoliata et omnibus opibus vacuata est. Multa millia captivorum in naves abducti sunt, inter quos etiam Eudoxia Augusta unacum duabus filiis et Gaudentio, filio Aetii [3]). Maxima praeda onerati Vandali Carthaginem reverterunt, in itinere Nolam, Capuam aliaque Campaniae oppida despoliantes [4]).

Ita contemporanei et qui eos secuti sunt, has res descipserunt. Sed mox fabulae fictae sunt. Iam Idatius fama audivit neque tamen credidit Gaiserichum ab Eudoxia ad hanc expeditionem esse sollicitatum. Priscus apud Ioannem eiusdem rumoris ita meminit, ut ei fidem abroget. Contra Eustathius [5]) credulus opinionem pervulgavit Eudoxiam a Maximo vi oppressam, cum Theodosio patre et Pulcheria mortuis nullum sibi Constantinopoli auxilium affuturum exspectaret, a Gaisericho petiisse, ut ipsam tyrannide Maximi liberaret. Procopius (b. Vandal. I, 4) eandem narratiunculam praebet suppletque Eudoxiam iam antea offensam acrius ea re intumuisse, quod Maximus ei in toro confiteretur se amore incensum Valentiniano mortem intulisse. Haec autem

---

[1] J. A. fr. 201; Marcellin ad 455; Iordan, Get. c. 45 Maximum ab Urso, milite Romano, interemptum esse refert. Sidon. carm. VII p. 345 scribit: »infidoque tibi (Roma) Burgundio ductu Extorquet Trepidas mactandi principis iras«. Hunc locum varie interpretati sunt Derichsweiler, Gesch. d. Burgunden p. 38, Papencordt, Gesch. d. vandal. Herrschaft p. 84, Binding, burgund. roman. Königreich p. 49, Tillemont VI, p. 260. Ego adstipulans Sirmondio (ad Sidon. l. l.) et Gibbonio (cap, 36) interpretor, caedem Maximi concitatam esse seditione mercennariorum Burgundionum. Maximum enim seditione militum circumventum esse Idatius l. l. auctor est. [2] Prosp. Aqu. et Prosp. continuat ad 455. [3] Prosp. et Marcellin ad 455; Idat. ad 455. [4] Hist. Miscella XV, 14 ed. Eyssenhardt. [5] apud Theoph. p. 167, Zonar. III, p. 249. Euagr. II, 7.

fabula posteris ita probata est, ut etiam Marcellinus silentium annalium Ravennatium ceterorumque fontium negligens eam in chronicon suum referret. Tillemontius (VI, p. 260), Gibbonius (cap. 36) recentioresque huic fabulae fidem adiunxerunt, quamquam Muratorius[1]) aliter statuerat. Nuper Papencordtius[2]) temporum rationibus ductus denuo dubitavit, num Gaiserichus ab Eudoxia Romam invitatus sit. Reputanti mihi silentium chronicorum Prosperi, Cassiodori, Victoris et Iordanis, disertum Idatii et Ioannis de mala rumoris fide testimonium et credulitatem Eustathii et Procopii, a quibus levem auditionem pro re comperta habitam esse multis aliis exemplis probatur, apparet Gaiserichum non epistolis Eudoxiae, sed aeque ac Burgundiones ceterasque gentes omnium rerum sub Maximi imperio perturbatione sollicitatum esse, ut Romam aggrederetur.

3. Ad Galliam defendendam Maximus Avitum, virum »totius simplicitatis«[3]), sed divitiis abundantem, magistrum utriusque militiae fecerat. Dum is Tolosae cum Theodorico, rege Visigothorum, paciscitur, nuntius allatus est Maximum interemptum et Romam a Vandalis direptam esse[4]). Ambitioni Aviti[5]) consilia Theodorici responderunt. Avitus imperatoris nomen arripuit et sua auctoritate Theodorico Hispaniam provinciam cedens[6]) effecit, ut foedus cum Visigothis renovaret et auxilia eorum consequeretur. Tum ab ipso Theodorico Arelate deductus ibique ab honoratis Galliae provinciae imperator renuntiatus est[7]). Ipse Missianum, cuius opera Tolosae maxime usus esse videtur[4]), patricium nominavit[8]). Sic Galli provinciales et Gothi foederati aeque atque antea Hunni mercennarii imperium viro

---

[1] annali d'Italia, III, p. 145 Lucca 1762. [2] Gesch. d. vandal. Herrschaft, p. 348. [3] Victor Tun. p. 341 ed. Roncalli. [4] Sidon. carm. VII, p. 345. [5] Gregorii Tur. II, 11 testimonium omnes versus Sidonii infirmat. v. Kaufmann, die Werke des C. Sollius Apollinaris Sidonius. Göttingen 1864, p. 20 sqq. [6] coniectura Kaufmanni, p. 26, nota 1. [7] Marius ed. Roncalli p. 402; Idat. ad 455. Prosp. contin. ad 455, Anonym. Cuspin ad 455 (ed. Mommsen, über den Chronographen von 354). [8] Prosp. continuat. ad 456.

ambitiosissimo tribuerunt. Gallorum Gothorumque auxiliis [1]) stipatus Avitus Romam ingressus est. Marcianus, imperator orientis, eum collegam agnovit [2]). Mittam, ut Theodoricus, rex Visigothorum, a Burgundionibus adiutus »ex auctoritate Romana«[3]) Hispaniam provinciam ditionis suae fecerit, regnum Suevorum everterit, arma usque ad Meridam, caput Lusitaniae, tulerit. Si Avitus hanc provinciam barbaris cessit, par erat omnes viros intendere ad barbaros a ceteris defendendos. Gaisericbus enim Italiam Siciliamque praedationibus vexare non destitit, legatos Marciani, qui eum coercerent, bis frustatus. Itaque Avitus Gaiserichum per legatos monuit, se bellum paraturum, nisi ille foederi antiquo staret. Simulque Ricimerum comitem cum exercitu in Siciliam direxit [4]). Huic contigit, ut 60 Vandalorum naves in Italiam seu Galliam cursum dirigentes prope Corsicam opprimeret [5]). Sed haec victoria ipsi Avito fuit exitiosa, quia Ricimero animos addidit. Ricimer, natus patre regulo Suevorum matre Walliae, regis Visigothorum, filia [6]), exemplum multorum procerum Romanorum secutus, ut fortunam periclitaretur, militiam Romanam capessiverat atque castra Aetii secutus [7]) summam sibi rei militaris opinionem apud Romanos collegerat [8]), ad comitis [5]) et magistri militum [9]) dignitates elatus. Tum vero ad maiores spes animum excitavit, turbis contra Avitum exortis et victoria sua abusus. Romani enim, cum urbs fame premeretur, Avito culpam attribuentes extorserunt, ut turbas Gallorum eum sectantium ex urbe dimitteret. Quibus ille ita obsecutus est, ut etiam auxilia Gothorum exauctoraret. Ad stipendia autem Gothis persolvenda, cum thesaurus regius omni auro vacuus esset,

---

[1] Prosp. contin. ad 456; J. A. fr. 202, Priscus fr. 24. [2] Idat. ad 455. [3] Idat. ad 456, p. 98 ed. de Ram: »cum voluntate et ordinatione Aviti imperatoris«; ad 457, p. 103: »sub specie Romanae ordinationes«. [4] Priscus fr. 24. [5] Idat. ad 456, p. 100. [6] Sidon, carm. II, p. 300. [7] id inde colligo, quod Sidonius, carm. V, p. 317 v. 266 eum commilitonem Maioriani appellat, qui sub Aetio militavit. [8] Iordan Get. c. 45. [9] Prosp. continuat. et Anonym. Cusp. ad 456. tum vero nondum patricius fuit, quo honore eum Victor Tunn. p. 342 et Niebuhrius. Priscum (p. 217 ed. Bonn.) emendans ornat.

argentariis signa aënea urbis venditavit. Quare Romani urbem publicis ornamentis orbatam esse aegre ferentes seditionem moverunt [1]). Hac occasione Ricimer et Maiorianus arrepta, cum Gothorum metu liberati essent, palam fidem mutaverunt. His tumultibus simulque bello Vandalico perterritus Avitus animo concidit et in Galliam, sedem opum suarum, ire contendit [2]). Simul Hesychium tribunum in Lusitaniam misit, qui Theodoricum, regem Visigothorum edoceret, quomodo res se haberent [3]). Sed antequam legatus ad illum perveniret, Avitus et imperio et vita privatus est. Nam cum auxiliis Gothorum dimissis cum sociis Gallis Placentiam advenisset, Ricimer et Maiorianus eum adorti magna caede fugaverunt. Missianus patricius hoc proelio interfectus est [4]). Quid deinceps secutum sit, varie narratur. Qui annales Ravennates exscripserunt [4]), consentiunt Avitum captum et purpura exutum, deinde vero Eusebio episcopo intercedente episcopum factum esse eaque re incolumem evasisse. Gregorius Tur. (II, 11) refert Avitum episcopum factum esse, deinde vero, cum etiamtum indignans senatus vita eum privare vellet, basilicam S. Iuliani Arverni martyris expetisse, sed incompleto in itinere obiisse. Hac relatione apparet, unde error Idatii (ad 457) orsus sit referentis Avitum simul et regno et vita caruisse. Inde autem, quod senatus non contentus eiectione Aviti eum persequi continuavit, apparet error Ioannis (fr. 202) narrantis: cum Ricimer et Maiorianus Avitum intra templum aliquod compulsum purpura denudassent, Maiorianum solum in obsidendo eo per-

---

[1] v. Wietersheim, Gesch. d. Völkerwanderung IV, p. 809 interpretatur J. A. fr. 202 sic: Avitus habe die Gothen entlassen, »indem er ihnen den rückständigen Sold in Gold auszahlte. Darüber neue Aufregung, weil die Römer, namentlich die Kaufleute, wegen Mangel an Gold im Schatze mit geringer Bronzemünze, die wohl Zwangscours hatte, vorlieb nehmen mussten«. Ego interpretor Avitum aurum, cum in thesauris non esset, ab argentariis mutuatum esse dato iis *χαλκῷ*. Illud *χαλκόν* idem est cum *τῷ κόσμῳ τῆς πόλεως*, significat igitur statuas aeneas, ornamenta urbis. [2] Hactenus J. fr. 202. [3] Idat. ad 456, p. 101. [4] Anonym. Cuspin., Cassiodor., Marius, Prosp. continuat. ad 455, Victor p. 342 ex annal. Ravennat. J. fr. 202.

severasse, donec Avitus fame pressus animum exspiraret. Verisimile enim est Maiorianum a senatu esse impulsum, ut Avitum persequeretur; qua re comperta Avitum Placentia in Galliam fugisse, sed in itinere sua morte functum esse. Error Ioannis vel potius Prisci in eo positus est, quod Maiorianus Avito mortem, quem inferre sibi proposuerat, intulisse dicitur, et quod Avitus, qui, cum templum fuga peteret, sua morte occubuit, a Maioriano in templum compulsus fame interemptus esse dicitur.

4. Avito exstincto interregnum intercessit, quo omnia turbabantur. Visigothi, a Burgundionibus adiuti, totam Hispaniam ditionis suae faciebant. Burgundiones, foedere Visigothorum confisi, fines suos intra Gallias propagabant[1]). Alamanni, trans Alpes profecti, in Italiam irruebant[2]). Vandali oram maritimam praedabantur[2]). Invasiones barbarorum discordiis eorum, qui militiae Romanae praeerant, iuvabantur. Marcellinus, unus ex amicis Aetii, oboedientia contra imperatores post caedem illius abiecta, Dalmatiam suo iure tenebat[3]), Hunnis mercennariis stipatus[4]). Iam vero Avito exstincto imperium appetere videbatur. Nec defuerunt ei etiam in Gallia sectatores[5]). In Italia autem Ricimer et Maiorianus summam rerum tenebant. Hic tum magister militum, ille patricius factus est[6]). Aemulatio amborum obstitisse videtur, quominus statim novus imperator crearetur. Tandem Ricimer, voluntate Leonis[7]), imperatoris orientis, motus concessit, ut Maiorianus imperator levaretur. Vix in imperium elatus praedationibus Vandalorum ad arma capessenda est impulsus[8]). Decrevit igitur ad eos coercendos omnes vires intendere. Hoc consilio classem trecentarum navium in mari interno paravit[9]) et exercitum terrestrem in Galliam movit. Ibi Gothi vi armisque coacti sunt, ut foedus renovarent[10]). Societate cum Gothis iuncta Maiorianus ceteras gentes ditioni Romanorum accolas partim verbis

---

1 Iordanis Getic. c. 44, Marius p. 402, Prosp. contin. ad 457. 2 Sidon. carm. V, p. 321. 3 Procop. b. Vandal. I, 6. 4 Priscus fr. 29. 5 Sidon. ep. I, 11. 6 Anonym. Cusp. ad 457. 7 Marcellin. ad 457. 8 Sidon. carm. V, p. 321. 9 Sidon. carm. V, p. 323, Priscus fr. 27. 10 Idat. ad 459, Sidon. carm. V, p. 327.

partim armis ad deditionem compulit[1]). Deinde (460, mense Maio[2]) in Hispaniam profectus est, unde copias navibus in Africam traiiceret. Gaiserichus, metu perterritus, legatos misit, qui bellum componerent. Quod ubi non obtinuit, Mauretaniam, in quam imperator appulsurus erat, igni ferroque vastavit et aquas quoque infecit[1]). Tum vero ex improviso omnia commutata sunt. Per proditores Vandali naves Maioriani, antequam ipse eas vidit, a littore Carthaginiensi iuxta Elecem abripuerunt[3]). Ita consilia Maioriani ad irritum redacta sunt. Nihilominus Gaiserichus per legatos pacem postulavit[4]). Pactum est, ut Vandali oram Romanam praedari desinerent[5]). In universum tamen conditiones Romanis iniquae fuisse videntur, siquidem Ioannes (fr. 203) hanc pacem contumeliosam fuisse recte testatur. Maiorianus auxiliis sociorum dimissis suas tantum copias in Italiam reduxit[6]). Qua re elatus Ricimer eum apud Dertonam iuxta fluvium Ira aggressus est et facile oppressit. Victum purpura exuit, flagellis cecidit et capite privavit[7]).

Haec inter Ioannem et optimum quemque auctorem conveniunt. Procopius (b. Vandal. I, 7), quem Theophanes (p. 183) sequitur, lectores narratiuncula delectat. Refert Maiorianum, ut vires Vandalorum exploraret, capillo fucato et persona legati imperatoris induta in Africam esse profectum. Ibi Gaiserichum ei, ut metum iniiceret, armamentarium aperuisse, quo aperto arma ultro concrepuisse. Post discessum legati Gaiserichum edoctum, quinam ille fuisset, metu esse consternatum. Tum vero Maiorianum iam victoria potiturum dysenteriae morbo esse abreptum. Nemo non dubitabit, quin haec fabula ad maiorem Maioriani gloriam ficta sit, quippe quae a ceteris relationibus plane abhorreat.

5. Praetereo, quomodo Ricimer Severum vacuo imperatoris nomine induerit, ipse rerum potitus sit et Romanos ipsi aemulantes potius quam externos hostes aggressus Ger-

---

[1] Priscus fr. 27 = J. fr. 203. [2] Idat. ad 459. [3] Marius ad 460, Idat. ad 460. [4] Idat. ad 460, p. 109. [5] Prisc. fr. 29. [6] J. fr. 203. [7] A. Cusp., Casiodor, Marius, Marcellin ad 461, Idat. ad 461; Victor p. 343 Maiorianum Romae occisum esse confuse refert; J. fr. 203.

manis undique urgentibus fines Romanos praedae dederit. Gaiserichus igitur foedera cum Maioriano pacta solvens Italiam Siciliamque denuo coepit vastare. Ipse enim Ricimeris loco imperium Romanum sibi vindicare cogitabat eoque consilio Olybrium in imperium provehere studebat. Hic enim in matrimonium duxerat Placidiam, filiam Eudoxiae Augustae et sororem Eudociae, quam Gaiserichus Hunnericho filio in matrimonium collocaverat. Propter hanc affinitatem Gaiserichus Olybrium post mortem Maioriani imperatorem levare sibi proposuerat. Spe destitus Italiam Siciliamque vastare non destitit omnes legationes imperatoris orientis et Ricimeri frustratus. Praetexuit autem tamquam causam belli hereditatem et Valentiniani et Aetii, quae sibi et Eudociae et Gaudentii nomine deberetur. Nam Eudociam et Gaudentium Carthagine retinuerat, quamquam Eudoxiam et Placidiam Leoni, imperatori orientis, nuper remiserat[1]). Ut Gaiserichus Olybrium Severo substiturus Italiam vastabat, ita Leo Severi electionem utpote contra voluntatem suam factam aegre ferens Italiam armis defendere abnuebat[2]). Itaque Ricimer Severo mortuo animum induxit, ut novum imperatorem a Leone peteret. Sic Anthemius levatus est[3]). Ricimero autem quasi praemium et pignus fidei filia Anthemii in matrimonium est collocata[4]). Ioannes[5]) eam Alupiam appellat, Sidonius[4]), qui ipse sponsalibus interfuit, Euphemiam. Postquam hoc modo societas imperatorum et occidentis et orientis restituta est, viribus unitis bellum contra Gaiserichum est paratum.

6. Quam male Basiliscus rem contra Vandalos gesserit, quis est qui ignoret? Iam nihil tum Romanis prospere evenit, quia omnia ad privatas utilitates referentes contra rempublicam facere non dubitabant. Quid igitur mirum, quod etiam domi Anthemius insidiis ambitiosorum circumveniebatur? Sic veneno gravem morbum contraxit. Culpa

---

[1] Priscus fr. 29, J. fr. 204. [2] Misit enim, quamvis Ricimer eum saepius auxilium rogaret, nihil aliud quam legatos ad Gaiserichum. Prisc. fr. 29 sqq. [3] Anonym. Cusp., Cassiodor, Marcellin ad 457, Idat. ad 467, Sidon. carm. II, p. 289. [4] Sidon. carm. II, p. 305, ep. I, 4. [5] fr. 209.

cum aliis tributa est tum Romano, viro inter magistros et patricios elato. Is igitur, quod imperium arripere studuisset, capitis condemnatus est[1]). Verisimile autem est Ricimerum, utpote qui Romano amicissimus fuit, non expertem criminis fuisse. Certe nece illius offensus Romam reliquit et mercenariis, quibus ad bellum Vandalicum gerendum praefectus erat, collectis[2]) Milanum, sedem tumultus fecit[3]). Tum quidem honorati Liguriae se interposuerunt et Epiphanius, episcopus Ticinensis Ricimerum cum Anthemio reconciliavit[4]). Sed concordiae non diu permanserunt. Nulla, ut videtur, causa intercedente, nulla affinitatis ratione habita Ricimer (472, mense Februario[5])) cum exercitu Romam profectus ad pontem Anicionis castra posuit. Ita positus totam circa Tiberim regionem coercuit et urbem fama pressit. Anthemius domum regiam praesidiis tenuit. Ab Anthemio magistratus populusque steterunt, cum Ricimere mercenarii barbari fecerunt[6]). Agebatur, utrum regnum Italiae Romanis an barbaris cederet. Si Ioannem[6]) sequimur, proelium consertum est, quo multi ab Anthemio defecerunt. Ceteros Ricimer dolo conciliavit, ut fidem mutarent. Quo facto Olybrium imperatorem renuntiavit. Vix dubium est, quin Ioannes idem proelium respiciat, cuius auctor historiae Miscellae[7]) meminit. Is enim refert Bilimerum, Galliarum rectorem, cum Anthemio auxilio venisset, a Ricimero ad pontem Hadriani victum atque interfectum esse. Hic auctor et Ioannes tam inter se quam cum annalibus Ravennatibus[8]) in eo consentiunt, quod Olybrium regnante etiamtum Anthe-

---

[1] J. A. fr. 207, Cassiodor ad 470, Hist. Miscella XVI, 3. [2] J. A. fr. 207. [3] Ennodius (vita Epiphanii ed. Migne, patrologiae LXIII), ab eo ipso temporis puncto incipit, in quo Ioannis fr. 207 desinit. [4] Ennodius l. l., Tillemontius VI, 347 et E. de Wietersheim, Gesch. d. Völkerwanderung IV, p. 423 intercessionem Epiphanii in a. 469 ponunt. Sed seditio Ricimeri post mortem Romani, i. e. post 470 concitata est, intercessio Epiphanii igitur non ante a. 470. [5] haec temporis nota inde colligitur, quod Ioanne auctore (fr. 209) Anthemius per quinque menses obsessus erat, cum mense Iulio urbem traderet. [6] J. fr. 209 § 1. [7] Hist. Misc. XVI, 5. [8] Anonym. Cusp., Cassiodor, Marcellin ad 472.

mio levatum esse scribunt. Hanc tamen levationem auctor hist. Miscellae ante victoriam Ricimeri, Ioannes probabilius postea ponit. In chronico Paschali, apud Theophanem (p. 183) et in Hist. Miscella (XVI, 4) legitur Olybrium a Leone missum esse, ut Anthemio succederet. Neque est, quod cum Tillemontio (VI, 360) hanc missionem addubitemus. Nam utrum Anthemius an alius regnum occidentis teneret, Leonis non intererat, dummodo id consequeretur, ut ipse imperatorem occidentis designaret. Certe Ricimer neminem indagare potuit magis idoneum Olybrio, quippe qui maritus Placidiae eaque re et Leoni et Gaisericho acceptus esset. Olybrius mense Aprili [1]) (472) levatus est. Sed usque ad mensem Iulium Romani obsidionem tulerunt. Tum vero fame pressi sunt, ut urbem traderent. Ricimer mercennariis barbaris urbem diripiendam dedit. Anthemius autem, cum in aedem S. Chrysogoni martyris confugisset, a Gundobando, fratre Ricimeris deprehensus et decollatus est [2]).

7. Clade Anthemii regnum Italiae barbaris cessit. Ricimer ipse quidem, antequam victoria frui posset, eruptione sanguinis mortem occubuit [3]). Sed in locum eius alius Germanus, qui item militiam Romanam capessiverat, successit. Imperator Olybrius facere non potuit, quin Gundobaldum [4]), filium Gundiochi, regis Burgundionum, et sororis Ricimeri, patricium suum crearet [3]). Paulo post imperator aquae intercutis morbo decessit [3]). Tum vero Gundobaldus per quattuor menses suo iure summam rerum tenuit, antequam novum imperatorem eligere animum induceret. Tandem cum voluntate militum [5]) comitem quemdam domesticorum, nomine Glycerium, levavit [6]). Nec multo post, haud scio an

---

[1] id inde colligitur, quod Anonym. Cusp. Olybrium X K. Nov. a. 472, Marcellin. et Cassiodor. eum septimo imperii mense mortem occubuisse scribunt. [2] J. fr. 209, § 1. [3] Anonym. Cusp., Cassiodor, Prosperi chron. auctarium ad 472, J. fr. 209, § 2. de die mortis omnes inter se discedunt. [4] Ioannes eum nominat *Γουδουβάλην*, alii aliter, multae de eo controversiae; ego adstipulor Pallmanno, Gesch. d. Völkerwanderung II, 275 et Bindingio, burgund.-roman. Königreich p. 82. [5] Hist. Misc. XVI, 5. [6] Anonym. Cusp., Cassiodor, Marius, Marcellinus ad 473. J. fr. 209, § 2.

Burgundionum regnum occupaturus, Italia decessisse videtur [1]). Decessione eius fortasse imperator Leo incitatus est, ut denuo rem Romanam in occidente sustentare conaretur. Direxit Nepotem patricium [2]), filium sororis Marcellini [3]) et affinem Verinae Augustae [4]), cum exercitu in Italiam. Is nullo repugnante Romam ingressus Glycerium in Portu urbis ex imperatore episcopum fecit et Salonam, in oppidum Dalmatiae, relegavit [5]). Quo facto ipse imperii iura et insignia occupavit. Quae deinceps secuta sint, apud Ioannem non exstant.

8. Quae apud Ioannem de regno Odovacari leguntur, cum rebus orientis arctissime cohaerent eamque ob rem infra nobis perlustranda sunt. Hoc loco de origine Odovacari est inquirendum. Quae quot in controversis posita sit, quis est qui ignoret [6])? Neque tamen quisquam hodie Iordanis [7]) testimonio nisus contendet Odovacarum cum turbis Turcilingorum, Scirorum, Herulorumque in Italiam invasisse. Nam Eugippius in vita Severini nobis auctor est illum cum paucis sociis vilissimo habitu ad Italiam migrasse. Cum Eugippio autem Procopius (b. Gothic. I, 1) facit enarrans Odovacarum in imperio occidentis stipendia fecisse et a mercennariis, quibus intererat, in regnum esse promotum. Odovacar igitur multorum Germanorum exemplum secutus in Italiam migravit, ut in militia Romana fortunam periclitaretur [8]). Ab Ioanne Antiocheno (fr. 209, § 1) discimus eum anno 472 etiamtum in Italia fuisse et sub Ricimero militantem obsidioni Anthemii interfuisse. Inde igitur, quod pluribus annis antequam regnum occupavit, in Italia commoratus est, apparet error Theophanis (p. 184) scribentis eum in Italia esse enutritum. Confuse tamen idem scriptor Odovacarum Gothum natione fuisse contendit. Nec rectius

---

[1] Pallmann et Binding l. l. [2] Anonym. Valesii, Prosp. continuat. ad 474, Hist. Misc. l. l. [3] Marcellin ad 474. [4] Malchus fr. 10. [5] Anonym. Cusp., Prosp. cont., Marcellin ad 474, Anonym. Valesii; J. fr. 209, § 2. [6] recensentur a Pallmanno, Gesch. d. Völkerwanderung II, p. 162 sqq. [7] Getic. c. 46; de regnor. success. p. 709 ed. Muratori. [8] sic recte Roth, Gesch. des Beneficialwesens, p. 26.

Iordanis [1]) eum Rugum natione appellat. Nam cum Anonymus Valesii Odovacarum patre Aedicone natum esse et Sciris praefuisse scribat, suspicio oritur Odovacarum filium illius Ediconis fuisse, quem Iordanis unacum Hunuulfo primatem Scirorum exstitisse memoriae tradidit [2]). Haec autem coniectura procul dubio ponitur testimonio Ioannis (fr. 209, § 1). Is enim auctor est Odovacarum natione Scirum, filium Idiconis et fratrem illius Onuulfi fuisse, qui Harmatii primum satelles, deinde percussor exstitisset [3]). Caedem Harmatii Malchus Photio (cod. 78) testante enarravit. Unde suo iure Niebuhrius ea quae Suidas sub v. *Ἁρμάτιος* habet [4]), Malcho vindicavit. Malchus igitur memoriae tradidit Onoulfum, cum pauper e barbaris in regnum orientis venisset, ab Harmatio humaniter exceptum et primum comitem, deinde praefectum Illyriae redditum esse; nihilominus illum perfidia barbarica mortem Harmatio intulisse. Alio loco [5]), quem itidem Malchi esse Bernhardyus coniecit, Suidas refert Onoulfum patre Thuringo, matre Scira natum esse. Dubitari autem non potest, quin Malchus apud Suidam eundem Onuulfum significet quem Priscus apud Ioannem. Nam uterque ei caedem Harmatii tribuit. Unde colligitur, Odovacarum, utpote fratrem Onoulfi, patre Thuringo, matre Scira natum esse. Atque e Scirorum gente eum ortum esse consensu Prisci et Malchi procul dubio constat. Thuringis vero cum Sciris connubium intercessisse neque aliis exemplis probatur nec propterea verisimile est, quod Sciri Thuringorum finibus non accolae, sed interiectis Rugorum pagis ab illis segregati erant [6]). Itaque crediderim a Malcho praeclarum Thuringorum nomen obscuro Turcilingorum nomini esse substitutum. Turcilingi enim nusquam inveniuntur, nisi ubi etiam Sciri commemorantur [7]). Unde hos cum illis communione sanguinis et civitatis arctissime coniunctos fuisse atque

---

[1] Getic. c. 46; de regnor. success. p. 709 ed. Muratori. [2] Dahn, Könige der Germanen II, p. 35. [3] pro Ὀνοούλφου καὶ Ἁρματίου legendum esse planum est Ὀνοούλφου τοῦ Ἁρματίου. [4] Malchus fr. 8 a, ed. Dindorf. [5] Malchus fr. 8 c. [6] K. Zeuss, die Deutschen und ihre Nachbarstämme p. 355 de Thuringis, p. 488 de Sciris. [7] K. Zeuss l. l. p. 489.

adeo Turcilingos nil nisi nobilissimam Sciroruın gentem fuisse colligitur. Itaque haud absurde mihi videor statuere, Ediconem patrem Odovacaris Turcilingum, id est e principe Scirorum stirpe, matrem e multitudine Scirorum natam esse. Sic statuenti apparet eodem iure Odovacarum et ab Ioanne Scirum et ab Iordane uno loco (Getic. c. 46) Turcilingum vocari. Vires autem Scirorum ab Ostrogothis ingenti bello, quod inter annos 465—469 gestum est, ita fractae sunt [1]), ut inde ab eo tempore populi Scirorum iam non mentio fiat. Reliquiae eorum in multitudine mercennariorum occurunt, quorum seditione Odovacar regnum obtinuit. Verisimile igitur est, post illud cum Ostrogothis bellum cum alios Sciros tum filios Ediconis e patria emigrasse et militiam Romanam capessivisse. Onoulfus in regno orientis, Odovacar plurimorum Scirorum exemplum secutus in Italia fortunam periclitatus est. Probabiliter inter annos 469—472, certe non post a. 472 castra Ricimeri secutus est.

B. Quid Ioannes ad res Leonis I et Zenonis, imperatorum orientis illustrandas conferat.

1. Dum Germani variis nominibus hostium, foederatorum, mercennariorum provincias occidentis inundant tandemque ipsam Italiam ditionis suae faciunt, imperium orientis paribus tempestatibus iactabatur. Hinc Hunni et Ostrogothi, illinc Persae et Isauri praedando et occupando provincias orientis infestabant. Mox quidem Hunnorum vires a Germanis fractae, Persarum animi a Romanis placati sunt. Sed Ostrogothi et Isauri in viscera imperii irrepserunt culpa ipsorum Romanorum, qui, cum a virtute maiorum descivissent, hostes iam non coercere poterant nisi ita, ut illos sibimet consociarent. Quare mox imperium orientis subrui videbatur ab iis, qui turbis Ostrogothorum et Isaurorum aut praeerant aut nitebantur. Ac Gothorum quidem res omnibus notae sunt. Isauri, qui seditione contra praefectos

---

[1] Iordanis Get. c. 53—54; Priscus (fr. 35) hoc bellum inter incendium Constantinopolis 465 (fr. 34) et mortem Dengisichi 469 (fr. 36) ponit.

Alexandri magni mota primum innotuerunt, latrociniis et praedationibus et liberam rempublicam et imperium Romanorum lacessere non destiterant. Saepius debellati tamen etiam atque etiam provincias finitimas perpopulati erant. Imperator Arcadius omni opera frustra enixus erat, ut eos coerceret. Quare Theodosius animos armaque eorum eadem ratione sibi conciliavit, quae dudum in Germanos adhibita erat. Adscivit eos in militiam Romanam [1]). Zeno, unus ex proceribus Isaurorum, a Theodosio primum Constantinopolim praesidiis illorum custodiendam accepit, tum consulis dignitate ornatus, denique magister militiae orientis factus est. Unde autem postea inimicitiae atque bellum inter Theodosium et Zenonem orta sint, supra perlustravimus. Exitus belli memoriae non est traditus [2]). Constat tamen Marciano imperante Zenonem et asseclas eius summa auctoritate floruisse [3]). Quae quanta fuerit, inde apparet, quod Iordanis [4]) felicem dicit Marcianum, quippe qui et Attilae et Zenonis mortem viderit. Zenone mortuo Isauri aliquantisper e conspectu nostro recedunt. In locum Zenonis successit Aspar, natione Alanus, qui auxiliis Ostrogothorum [5]) nitebatur. Hic, cum aeque ac Ricimer ob invidiam Romanorum nomen et insignia imperatoris ipse consequi non posset, Marciano mortuo Leonem, qui sub ipso militaverat, in imperium provexit perfecitque, ut Patricius, filius suus, ab illo Caesar crearetur. Sed si nomine illius se ipsum regnaturum speraverat, mox animum fefellit. Nam Leo non is erat, qui suam voluntatem Aspari remitteret. Ita mox inimicitiae

---

[1] omnia quae de Isauris memoriae tradita sunt, collegerunt Gothofredus ad Cod. Theodosianum (IX, tit. XXXV, l. 7) et Sievers, Studien zur Geschichte der römischen Kaiser, p. 489 sqq. [2] de Zenone referunt Priscus fr. 8 (p. 320 ed. Dindorf), fr. 12 et 13 et 14; J. fr. 199. vide supra p. 35. [3] Prisc. fr. 18, p. 330. [4] de regnor. success. p. 239 a. [5] Chronic. Paschale ad 467 meminit Gothorum Asparis mercennariorum; Theophanes p. 182 Asparem cum sorore Theodorici, Triarii filii, matrimonio copulatum fuisse refert, idem p. 195 eundem Theodoricum ἀδελφόπαιδα τῆς γυναικὸς Ἄσπαρος appellat. Malchus fr. 2, p. 386 (ed. Dind.) narrat Theodoricum hereditatem Asparis a Leone petiisse.

inter ambos intercedebant atque in dies ingravescebant[1]). Quare Leo, ut contra Gothos Asparis Isaurorum arma sibi conciliaret, nobilissimo horum principi, Tarasicodissae[2]), Rusumbladeotae et Lallidis[3]) filio, Ariadnam filiam in matrimonium collocavit eidemque praeclarum Zenonis nomen induit[4]), quo Isauros ad spem pristinae potentiae excitaret. Simul Zenonem magistrum militiae orientis fecit et consulem designavit[5]). Magna Isaurorum turba cum Zenone Constantinopolim est profecta, qui in ipso itinere ferocitatem prae se tulerunt. Primum Rhodum insulam rapinis caedibusque ita vexaverunt, ut milites legionarii proelio conserto eos in naves propellerent. Constantinopoli autem, simulatque advenerunt, mercatum turbaverunt et manus cum plebe conseruerunt, donec nox tumultum diremit[6]). Societas Leonis cum tali latronum turba Aspari metum non iniicere non potuit. Decrevit ille igitur periculum praecavere. Quaenam consilia ceperit, ex fragmentis complurium scriptorum colligendum est. Candidus (p. 442) narravit, Ardaburium, Asparis filium, id egisse, ut Isauros in suas partes traduceret, sed machinationes eius Zenoni a Martino esse detectas. Certe Zeno eas ad irritum reducere contendit. Huc igitur fortasse spectat, id quod Ioannes[7]) refert, Zenonem misisse, qui Indacum Papirii castello depellerent, quod castellum Neo communiverat, Papirius pater Indaci sedem latrocinandi reddiderat. Suspicor Indacum Ardaburio studuisse propter eaque Zenonem misisse, qui castellum eius praeoccuparent. Eodem tempore aliunde machinationes Ardaburii in lucem prolatae sunt. Consules anni 470 designati erant Severus[8]) et Anagastes[9]), praefectus Thraciae Ripensis. Anagastes autem, cum comitiali morbo corriperetur, veritus, ne senatui ludibrio fieret, hunc honorem detrecta-

---

[1] de Aspare v. Sievers libro laud. p. 483, Candidus ed. Dindorf p. 441. [2] nomen varie scribitur, v. Mueller. FHG IV, p. 139. [3] nomen matris exstat apud J. f. 210. [4] Candidus p. 442. [5] v. Tillemont VI, p. 402, 641; Clinton ad 469, E. de Muralt, essai de chronographie Byzantine. St. Petersbourg. 1855, p. 73. Sievers, p. 497. [6] J. fr. 206, § 1. [7] fr. 206, § 2. [8] de Severo v. Tillemont, VI, p. 351, 407. [9] de Anagaste v. Priscus fr. 38.

verat. Quare in locum eius suffectus erat Iordanis, praefectus orientis, filius Ioannis illius natione Vandali, quem Arnegisclus, pater Anagastis, occiderat [1]). Hanc inimici provectionem Anagastes aegre ferens seditione mota castella Thraciae imperatori praeoccupare contendit. Non defuerunt quidem, qui eum avaritia motum rebus novis studere dicerent. Sed imperator gravius aliquod suspicatus misit, qui Anagastem a proposito avocarent. Ille igitur, ut in gratiam rediret, Ardaburium maiestatis incusavit epistolis eius imperatori missis [2]). Quomodo exinde asperius in dies suspicio mutua inter Leonem et Asparem creverit, Candidus enarravit. Sed neque apud Photium neque apud Ioannem quidquam huius narrationis exstat. Maximum vero momentum attulisse videntur Asparis contra Zenonem insidiae, quarum Eustathius apud Theophanem (p. 181) meminit. Zeno enim, cum urgente belli necessitate in Thraciam missus esset, a militibus, quos Aspar pecunia corruperat, paene interfectus est, nisi Serdicam fugiendo insidias praevertisset. Cum his Asparis machinationibus haud scio an ea cohaerent, quae aliunde non nota apud Ioannem (fr. 208) leguntur: simul cum Iordane consule Michaelem et Cosmam, cubicularios regios, summum in periculum incurrisse, quod custodia cubiculorum neglecta Iordani arcana aulae regiae assecuturo aditum fecissent. Coniicio enim Iordanem, postquam Anagastes inimicus eius partes Leonis secutus esset, ipsum a Leone animum abalienasse et Aspari obsecutum consilia Leonis detegere studuisse. Quid deinceps secutum sit, memoriae non est traditum. Id unum constat, insequenti anno Asparem et Ardaburium filium eius a Leone esse interemptos. Hanc quidem caedem tumultus mercennariorum Gothorum, qui Asparem sectati erant [3]), et minationes Theodorici Strabonis [4]), Gothorum ducis, qui Aspari affinis erat,

---

[1] Marcellin ad 441, p. 286 ed. Roncalli; Theophanes p. 149, quem Tillemontius VI, 89 secutus est, hunc Ioannem cum eo confudit, qui Honorio mortuo regnum occidentis occupavit. legendum est apud Theoph. l. l. Ἰωάννης ἕτερος, οὐχ ὁ λεγόμενος Οὐανδαλός. [2] J. A. fr. 206, § 2. [3] Chron. Pasch. ad 469. [4] Malchus fr. 2.

subsecuta sunt. Sed inde ab eo tempore Zenonis Isaurorumque potentia magis confirmata est. Leo ipse quidem a Romanis tumultum contra Isauros moventibus prohibitus est, quominus Zenonem generum imperatorem renuntiaret [1]). Sed Leonis iunioris, filii Zenonis et Ariadnae, breve regnum ipsi Zenoni viam ad imperium occupandum aperuit.

2. Zeno Isauricus, vix imperator factus, Romanorum odium ita excitavit, ut insidiis factionum et ambitionum peteretur. Ii, qui Eustathium exscripserunt [2]), has insidias obiter perstringunt referuntque Zenonem turpissima vita etiam cognatorum animos a se abalienasse; itaque Basiliscum, magistrum militum operam ferentibus Verina Augusta, sorore sua, et quodam e senatoribus Heracleae in Thracia rebellasse; quo comperto Zenonem unacum Ariadna uxore Constantinopoli in Isauriam turpiter effugisse. Ex Malchi frgmo 8 colligitur et senatorem illum coniurationis participem fuisse Harmatium, cognatum Basilisci et simul Theodoricum Strabonem, Gothorum ducem, a Basilisci partibus stetisse. Ex chronico Paschali (ad 477) apparet, Verinam coniurationi fratris propterea favisse, quod Zeno gener petenti ei aliquid denegasset. Cohaerentiam rerum unus Ioannes (fr. 210) Candido usus edocet. Ac primum apparet consilia Basilisci dissidiis inter Zenonem et Theodoricum Strabonem Heraclii causa exortis maxime esse provecta. Heraclius enim, praefectus Thraciae, qui rebus contra Persas et Vandalos fortiter gestis gloriam sibi collegerat [3]), cum in manus Theodorici incidisset, a Zenone erat redemptus: Sed cum domum redire contenderet, complures Gothi caedem amicorum mercennariorum, quos Heraclius ob leve facinus lapidibus obrui iusserat, vindicaturi eum apud Arcadiopolim dolose invaserunt atque interfecerunt. Sic Malchus [4]), optimus rerum Gothicarum auctor, enarrat. Ioannes caedem prope murum Chersonesi ipso Theodorico auctore perpetra-

---

[1] Candid. p. 443, Marcellin ad 473. [2] Euagrius III, 3; Theophanes p. 186; Zonar. III, p. 255. [3] Priscus fr. 41, Theoph. p. 181. [4] fr. 2. Tillemontius VI, p. 492 caedem Heraclii ad a. 476 refert. Ex Ioanne apparet, eam ante seditionem Basilisci factam esse.

tam esse scribit. Utut id est, certe fides Ioanni[1]) habenda est referenti Theodoricum oboedientia contra imperatorem abiecta bellum parasse. Certe enim caedes Heraclii dissidiis inter Theodoricum et Zenonem exortis materiam addidit. Ad infringendam Gothorum seditionem Illus a Zenone in Thraciam missus est[2]). Hic, Isaurus natione[3]), tum primum in conspectum historiae venit. De origine eius superioreque vita nihil constat, nisi quod Aspalium[4]) et Trocundum[5]) fratres habuit et Asteriam[6]), sororem Martiniani[7]), in matrimonium duxit. Tum igitur contra Theodoricum quidem rem bene gessit. Sed cum ei consuetudo cum Basilisco, qui Heracleae commorabatur[8]), intercessisset, ab illo pellectus est, ut insidiarum Zenoni struendarum particeps fieret. Quo facto Basiliscus, confirmans Harmatium quoque, cognatum suum, contra Zenonem conspiraturum Illum Constantinopolim direxit, ut Harmatio epistolam de arcanis ipsius consiliis scriptam referret. Harmatius igitur cum Verina Augusta collocutus perfecit, ut illa quoque consilia fratris sui adiuvaret. Illa enim facile in spem adducta est adiungendi sibi Patricium magistrum, cum quo consuetudinem habebat, foreque, ut ipsa imperaret[2]). Ita callidissimo dolo Basilisci contigit, ut ei Verina soror, ad imperium, quod ipsa appetebat, viam patefaceret. Nec minus callide Basiliscus perfecit, ut Illus et Theodoricus arma, quae paulo antea inter se conseruerant, cum ipso contra Zenonem coniungerent. Nam Theodoricum quoque Basilisco operam tulisse ex Malchi frgmo 8 apparet. Omnibus rebus ita paratis Verina coniurationem ad effectum perducere est aggressa. Cum Zeno primum in circo ludos edidit, Verina dolose eum arcessivit monuitque se ambos, utpote a coniuratione circumventos, capitis periculum esse adituros, nisi quam celerrima fuga salutem peterent. Hoc dolo falsus Zeno insequenti nocte a matre et uxore comitatus et Isaurorum praesidiis firmatus Chalcedonem traiecit[2]).

---

[1] fr. 210. [2] J. fr. 210. [3] Marcellin ad 484. [4] J. fr. 211 § 2. [5] Theoph. p. 201. [6] J. fr. 214 § 5. [7] J. fr. 211 § 2. [8] Theoph. p. 186.

Quomodo post Zenonis fugam Basiliscus imperator renuntiatus sit, apud Ioannem non exstat. Itaque praetereo Basilisci et elevationem et depulsionem et quae cum his cohaerent, id unum commemorans Illi opera factum esse, ut Zeno in imperium restitueretur.

3. Illus inde ab eo tempore, quo Zenonem in imperium restituerat maxima auctoritate floruit. Statim magister officiorum[1]) factus et insequenti anno (478) consul creatus est. Quid deinde domi bellique rebus fortiter, liberaliter atque iuste gestis reipublicae contulerit, Candidus Photio teste enarravit. Memoriae nihil traditum est nisi quod Illus porticum regiam reficiendam curavit[2]) et in bellum contra Theodoricum Strabonem paratum ipse profisci cogitavit neque tamen profectus est[3]). Mox vero ipsa potentia, qua apud Zenonem valuit, invidiae atque insidiae excitatae sunt. Nondum transacto primo post Zenonis reditum anno Illus insidias sibi a Paulo, domestico regio, strui deprehendit. Zeno ei igitur, ut animum placaret, Paulum ad poenam tradidit. Sed insequenti anno (478) Illus, cum consul esset, novis insidiis appetitus est. Alanus quidam in scholam magistratus officiorum stricto gladio irruens Illum petiit. Conatu suo depulsus, cum tormentis interrogaretur, ab Epinicio se subornatum esse confessus est. Is autem, natione Phryx, professione procurator, primum negotia Urbicii, primicerii aulae regiae, procuraverat, deinde cum Verinae commendatus esset, primum privatis, tum publicis aulae regiae thesauris erat praefectus. Quamobrem cum Illus vix dubitare posset, ubi verus insidiarum auctor esset quaerendus, Zeno sua sponte Epinicium a munere publico removere et Illo tradere festinavit. Illus tum quidem iracundiam repressit. Sed cum Epinicium in Isauriam custodiendum misisset, mortem Aspalii fratris praetexens commeatu petito ipse in Isauriam se contulit. Ibi cum Epinicio collocutus promissione et impunitatis et praemiorum effecit, ut ille ei omnia quae

---

[1] sic inde ab hoc tempore nominatur: J. fr. 211 § 1, Theoph. p. 196, Zonar. III, p. 257. Marcellin ad 484. [2] J. fr. 211 § 1.
[3] Malchus fr. 14, p. 402.

Verina moliretur detegeret. Ita edoctus rem dissimulavit, donec Zeno post terrae motum, quo Constantinopolis Septembri 478 iactabatur [1]), Chalcedonem profectus eum ex Isauria revocavit. Tum igitur Illus, cum honorificentissime exceptus esset, Zenoni machinationes Verinae aperuit declaravitque se Constantinopolim non tuto posse ingredi, nisi Verina sibi traderetur. Itaque Verina Illo tradita et a Martiniano, fratre uxoris Illi, in Isauriam deducta est. Postquam Tarsi regia purpura exuta et veste ecclesiastica induta est, Dalasindani, in castello Ciliciae, custodiebatur. Sic Ioannes (fr. 211, § 1—2) Candido (p. 444) auctore usus res enarravit. Neque ullo loco Candidum res detorsisse deprehendimus.

Contra Eustathius [2]) sive levi auditioni credulus sive malevolentia in Zenonem motus res rerumque ordinem et in unviversum et singulatim detorsit. Narrat Zenonem Illi consiliis motum Verinae innumeras insidias struxisse eamque primum ex urbe Chalcedonem, deinde in Papurium castellum relegasse, ut ibi cum Marciano altero genero conviveret. Antea enim relatum est Marcianum contra Zenonem malo cum eventu rebellasse et propterea in Papurium castellum esse relegatum. Verinam autem, ita pergitur, cum custodiae tradita esset, ab Ariadna filia auxilium petiisse. Ariadna, cum Zenonem interpellasset, ab eo admonita est, ut Illum pro matre deprecaretur. Illus autem tantum abfuit, ut lacrimis Ariadnae flecteretur, ut responderet eam id agere, ut alium Zenonis loco imperatorem proveheret. Tum Ariadna, furore incensa, Zenoni dixit aut se aut Illum non diutius in palatio posse commorari. Quo facto, cum Zeno ei permisisset, ut Illo insidias strueret, Urbicium cubicularium hortata est, ut quempiam ad caedem Illi impelleret. Quare Spanicius scholarius Illum in circo gladio petiit, sed spathario Illi gladium excipiente nil nisi dextram eius auriculam abscidit. Zeno autem Illo, ut animum eius placaret, Spanicium ad poenam tradidit. Tum vero Illus simulans se ob vulnus suum aërem mutare velle commeatum petiit. Et Zeno

---

[1] Mueller ad J. fr. 211 § 2; Theoph. p. 194; v. Tillemont, VI, p. 491. [2] Euagr. III, 27; Theoph. p. 197; Zonar. III, p. 257.

placatum eum omnino volens magistrum orientis fecit atque etiam ducum instituendorum potestate induit. Tum vero Leontio aliisque in societatem adscitis palam tyrannidem affectavit. Vides hac narratiuncula omnes res detorqueri. Verina, quae Illo insidias struxit, hic innocens in Illi insidias incidit. Ariadna, quae cum Zenonem in exilium secuta esset, cum marito Isaurisque contra matrem se facere declaraverat, hic pietate erga matrem Isauro insidias struit. Haec fictio a posterioribus ita exculta et provecta est, ut Iordanis[1]) Illum non Verinae, sed ipsi Ariadnae calumnias et insidias struxisse scriberet. Narrat enim Illum criminationibus Zenoni persuasisse, ut Ariadnam interficeret. Ariadnam autem de insidiis edoctam ad Acacium episcopum confugisse. Quo facto, cum Zeno uxorem iam interfectam esse credens palam dolorem simularet, Acacium episcopum ei nequitiam exprobasse et Ariadnam omni suspicione solvisse. Tum Ariadnam in gratiam receptam id egisse, ut Illum interficeret. Illum autem auricula amputata e manibus percussorum evasisse et orientem Zenoni infestum invasisse. Hanc Iordanis narratiunculam Tillemontius[2]) recte addubitavit. Idem, si Ioannis fragmenta etiamtum edita fuissent, certe non relationes ex Eustathio haustas ita cum Photii ex Candido excerptis coniunxisset, ut Illo primum Verinam opera Epinicii, deinde Ariadnam opera Spanicii insidias struxisse scriberet. Nam etiam obiter conferenti inter se Candidi et Eustathii relationem apparet utramque ad easdem insidias pertinere et Epinicium eundem esse cum Spanicio. Quare cum aut Eustathius aut Candidus res detorsisse putandus sit, non dubito, quin Eustathio nulla, Candido maxima fides iniungenda sit. Erant igitur insidiae Epinicii non consequentia, sed causa relegationis Verinae. Quam vero confuse Eustathius rebellionem Marciani ante relegationem Verinae et rebellionem Illi continuo post Epinicii insidias posuerit, ex iis quae infra sequuntur, apparebit.

4. Verina relegata Illus plus quam antea apud Zenonem valuit. Hac auctoritate ita usus est, ut amicos mini-

---

[1] de regnor. success. p. 240a. [2] VI, p. 510.

strosque, qui ei plurimum contulerunt, ad summos honores proveheret. Quod Epinicium restituit [1]), grato animo tribui poterat. Quod vero Pamprepium grammaticum quaestoris munere ornavit [1]), animos Romanorum valde offendit. Hic, Panopoli in Thebaide Aegyptiaca natus [2]), multos annos Athenis grammaticam docuerat, deinde cum a calumniatoribus apud magistratum eius urbis delatus et ab hoc gravissime exagitus esset, Constantinopolim se contulerat. Ibi Graeca sua religione, quam non dissimulabat, hominibus opinionem attulit ipsum arcana sapientia esse praeditum [3]). Sed contigit ei, ut Marsi opera Illo commendaretur [4]), qui ei stipendium ut doctori dedit [3]). Cum Illus in Isauriam abiisset, invidi et calumniatores Zenoni et Verinae persuaserunt, ut Pamprepius ex urbe pelleretur. Illus vero comperto eum sua causa pulsum esse in Isauriam advocavit et consiliarium contubernalemque sibi adscivit [3]). Deinde, cum ipse a Zenone revocatus esset, Pamprepium secum Constantinopolim adduxit et quaestorem fecit [5]). Si Candidum (p. 445) sequimur, Pamprepius paulatim omnia Illi negotia perturbavit. Probabilius mihi est Graeca eius religione armis Isaurorum tuta animos hominum contra Illum exacerbatos esse.

Haec contra Illum odia novis aemulorum consiliis contra ipsum et Zenonem incrementa non dare non poterant. Marcianus, filius Anthemii, eius qui Romae imperaverat, et matris et uxoris suae nomine imperium sibi vindicare potuit. Mater eius erat filia Marciani olim imperatoris [6]), Leontia uxor filia Leonis et Verinae, soror Ariadnae iunior quidem, sed in purpura nata [7]). Nihilominus Marcianus relegationem Verinae tamquam causam praetexuit et seditionem contra Zenonem movit (479 [8])). A partibus eius steterunt Procopius et Romulus [9]) fratres, Busalbus et Nicetas, praefecti mercennariorum, denique Theodoricus Strabo, dux Gothorum. Collecta multitudine barbarorum et popularium fratres

---

[1] J. fr. 211 § 3. [2] Malchus fr. 20; J. fr. 211 § 2. [3] Malch. fr. 20. [4] Candid. p. 445. [5] J. fr. 211, § 2—3. [6] Sidon. carm. II, p. 295. [7] Euagr. III, 26; Theoph. p. 196. [8] J. fr. 211 § 3: Zenone consule. [9] Romuli meminit Theoph. p. 196.

Constantinopolim profecti nocturno tempore ad domum, quae vocabatur Caesarii castra posuerunt. Illinc simul Zenonem in palatio et Illum in loco qui vocabatur Varani, sunt adorti. Prima luce usque ad porticum Delphicam progressi praesidiis regiis fugatis paene ipsum Zenonem ceperunt, nisi celerrime effugisset. Ac totum diem victoria penes seditiosos erat. Portu scaphisque potiti prohibebant, quominus imperatori Chalcedone auxilia mitterentur. Noctu autem socordia Marciani Illo contigit, ut navibus mercatoriis Isauros Chalcedone Constantinopolim traiiceret. Quo factum est, ut insequenti die, cum Zeno omnes magistratus et manum militum in palatium convocasset, Marcianus funderetur. Sic Ioannes [1]) res enarrat. Eustathius [2]) cladem Marciani inde repetit, quod ille, quamvis rapido impetu palatium expugnare potuisset, tamen re in crastinum diem delata ad epulas somnumque conversus Illo occasionem fecisset milites donis corrumpendi. Haec corruptio, ut vera fuerit, certe non tanti momenti erat quanti Isaurorum traiectio, cui Ioannes omne tribuit. In eo Eustathius cum nostro congruit, quod Marcianus, cum in aedem apostolorum confugisset, Zenonis iussu ab Acacio presbyter ordinatus et Caesaream in oppidum Cappadociae in custodiam abductus est. Inde autem, quod Theophanes qui ipse quoque Eustathium exscripsit, Caesareae, quam Euagrius habet, Papurium castellum substituit colligendum est Papurium haud procul Caesarea fuisse situm et ita ab Eustathio esse descriptum. Contra erroris Eustathius coarguendus est, quod Romulum et Procopium fratres Marciani primum ab Illo captos, deinde e manibus eius Romam effugisse scribit. Nam consensu Malchi [3]) et Candidi [4]) constat Procopium unacum Busalbo aliisque ad Theodoricum Strabonem in Thraciam confugisse. Res eorum a Zenone publicatae sunt. Ipsi apud Theodoricum, a quo Zeno impetrare non potuit, ut traderentur, modicum agrum colentes reliquum vitae transegerunt [3]). Leontia, uxor Marciani, connivente Zenone Acoemetos confugit, unde maritum

---

[1] fr. 211 § 3. Candid. p. 445. [2] Euagr. III, 26; Theoph. p. 196. [3] Malchus fr. 19, p. 420. [4] p. 445 apud Photium; apud Ioannem fr. 211 § 4.

in exilium est secuta[1]. Haud ita multo post Marcianus opera complurium monachorum e custodia effugit et collecta agrestium turba Ancyram, oppidum Galatiae, aggressus est. Sed cum Trocundus, frater Illi, oppidum praeoccupasset, Marcianus conatu depulsus, denuo captus et unacum uxore liberisque in castellum Isauricum deportatus est[1]. Euagrius (III, 26) eum tum demum presbyterum ordinatum esse dicit. Quando haec altera Marciani seditio mota sit, accurate non potest definiri. Primam seditionem Ioannes ad consulatum Zenonis refert (479). Idem, cum Verinae relegationem a Marciano tamquam causam primae seditionis praetextam esse referat, docet, quam confuse Eustathius hanc rebellionem ante relegationem Verinae posuerit.

5. Marciano oppresso Zeno ab iis, qui cum illo fecerant, poenas repetere decrevit. Huc pertinere videtur, quod Aetium legionibus Isauricis praefecit[1]. Isauri enim eodem tempore, quo Marcianus denuo rebellaverat, Corycum et Sebasten, oppida Ciliciae, vi manuque expugnaverant[1]. Gravius vero periculum a Gothis imminuerat. Constat inter omnes, quanta negotia duo illi Theodorici, alter Triarii, alter Valameri filius a Byzantinis nominatus, Gothorum duces inter se affines[2]) aemulique, Zenoni paraverint, ut ille alterius opera alterum coerciturus mox hunc, mox illum in stipendia Romana adsciverit et magistri militum munere ornaverit, denique vero perfidia sua ambos ad arma contra rem Romanam coniungenda lacessiverit. Quo facto cum Theodoricus magnus Macedoniam et Epirum perpopulatus Dyrrhachium ditionis suae faceret[3]), Theodoricus Strabo in gratiam

---

[1] J. fr. 211 § 4. [2] Ambos Theodoricos inter se affines fuisse unus Ioannes docet fr. 214, § 3, ubi Recitachum, Strabonis filium, appellat alterius Theodorici ἀνεψιόν. Unde apparet, quam perverse recentiores contra H. de Sybel contenderint, alterum Theodoricum alterius in omnibus rebus esse dissimilem. Neuter rex est nationis. Habemus duos affines idem agentes, ut in militia Romana ad maiores res se provehant. Id omnia, quae infra recensebimus, Ioannis fragmenta evincunt; haec autem eo maioris momenti sunt, quod inde ab eo ipso tempore ad res Gothicas spectant, in quo Malchi fragmenta desinunt. [3] Malch. fr. 18. Prosperi chron. auctarium ad 478.

Zenonis et magistri honorem rediit[1]) neque tamen ullam occasionem praetermisit rerum imperatoris perturbandarum. Ut primam, ita etiam secundam Marciani rebellionem adiuvit paravitque Constantinopolim cum exercitu ingredi, simulans se Zenoni opitulaturum, sperans se urbe esse potiturum. Sed donis Zenonis minationibusque Isaurorum motus est, ut a proposito decederet[2]). Marciano igitur oppresso tum Zeno Strabonem magistri munere exuit et in locum eius Trocundum, fratrem Illi substituit[3]). Quamobrem Strabo denuo arma cum altero Theodorico coniunxit[3]). Hac autem societate oppida Romana circa Thraciam ita vexabantur, ut Zeno tum primum Bulgaros auxilio advocaret[3]). Postquam autem Gothi has reliquias Hunnorum[4]) fugaverunt, Strabo ipsam Constantinopolim est aggressus. Sed Illus cum portas munire praeoccuparet, eum a spe conatuque depellit. Nec meliore cum eventu Theodoricus deinde Sycas adortus est. Tum ad locum nuncupatum πρὸς Ἑστίαις indeque Leosthenium profectus, cum in Bithyniam traiicere conaretur, proelio navali victus est. Itaque re infecta in Thraciam revertit. Hanc Ioannis (fr. 211 § 5) narrationem Eustathius[5]) et Marcellinus[6]) in universum confirmant. Eustathius tamen narrat Theodoricum propterea revertisse, quod quidam ex eius familiaribus donis corrupti ei insidias struxissent. Dubito, numquid veri huic narrationi insit. Certe continuae clades, quas Ioannes commemorat, maioris momenti fuerunt quam corruptio nonnullorum familiarium. Paulo post reditum Theodoricus triginta milibus (?) barbarorum stipatus et a duobus fratribus, Sigilda uxore et Recitacho filio comitatus e Thracia in Graeciam irruit. Tum vero, prope Diomedis stabulum, quod vocabatur, cum equum conscendere vellet, in hastam ante tentorium eius praefixam incidens exstinctus est. Fuerunt qui eum a Recitacho filio inter-

---

[1] Malch. fr. 17. J. fr. 211 § 4. [2] Malch. fr. 19. [3] J. fr. 211 § 4. [4] J. A. hoc loco diserte testatur, id quod K. Zeuss, die Deutschen und die Nachbarstämme, p. 710 sqq. coniecit, Bulgaros nil aliud esse quam reliquias Hunnorum. [5] Euagr. III, 25; Theoph. p. 195. [6] p. 300 ed. Roncalli.

fectum esse dicerent [1]. Sed omnes scriptores de mortis genere consentiunt. Non ita de tempore. Eustathius [2]) enim, ut rebellionem Marciani ante relegationem Verinae ponit, ita mortem Theodorici ante seditionem Marciani enarrat. Sed cum Ioanne etiam Malchus [3]) testatur Theodoricum seditioni Marciani interfuisse. Et Ioannes Marcianum a. 479 rebellasse, Marcellinus [4]) Theodoricum a. 481 mortuum esse auctor est. Theodorico mortuo primum fratres eius unacum Recitacho filio multitudini, quam ille collegerat, praefuerunt. Mox vero Recitachus patruos interfecit et solus per Thraciam dominatus est contumacius etiam patre contra Romanos se gerens [1]). Initio quidem alter Theodoricus pari contra Romanos hostilitate cum Recitacho affine erat coniunctus. Eodem enim tempore, quo Strabo, Sabinianus praefectus Illyriae, qui alterum Theodoricum aliquantisper coercuerat, mortuus aut, si Ioanni fides habenda est, dolo Zenonis interfectus erat [5]). Quare Theodoricus denuo in fines Romanos irruens Thraciam et Macedoniam depopulatus atque etiam Larissam oppidum depraedatus est (482 [6])). Ioannes (fr. 213) tradidit Ioannem Scytham et Moschianum contra eum esse directos. Sed quomodo rem gesserint, in fragmis eius non legitur. Certe Theodoricus superior discessit. Nam insequenti anno (483) Zeno eum, ut beneficiis pacaret, magistrum militiae praesentis fecit et consulem designavit. Multitudini eius partem Daciae Ripensis et Moesiae inferioris ad habitandum tradidit [7]). Ita alterum Gothorum ducem sibi conciliavit ad alterum exstinguendum. Quare cum Recitachus invidia accensus foedus cum Theodorico iunctum violare videretur, Zeno auctor exstitit, ut Theodorichus in suburbio Constantinopolis Bonofatianis nuncupato Recitachum, cum ille ex balneo ad epulas se conferret, gladio interimeret. His rebus Gothorum turbae ad tempus sedatae sunt.

6. Dum pax cum Gothis confirmatur, novi tumultus in ipsis imperii visceribus exarserunt. Circa a. 480 Epinicius

---

[1] J. fr. 211 § 5. [2] Euagr. III, 25; Theoph. p. 195. [3] fr. 19, p. 419 ed. Dindorf. [4] p. 300 ed. Roncalli. [5] de Sabiniano Malchus fr. 18, Marcellin ad 479, 481, 482; J. fr. 213. [6] Marcellin ad 482. [7] Marcellin ad 483.

ille nequam, de quo supra egimus, et Dionysius praefectus aulae et Thraustilas praefectus militum in coniuratione contra imperatorem deprehensi et poena affecti sunt [1]. Insequenti anno (481) Theosebius quidam, Marciano ore vultuque similis, oppida orientis circumivit multosque pellexit, ut secum facerent [2]. Quomodo exstinctus sit, memoriae non est traditum. Nec multo melius edocti sumus de gravissima contra Zenonem rebellione. Candidus secundo historiarum libro enarravit, quomodo a Zenone odium contra Illum conceptum atque auctum sit, tertio libro, quomodo Illus palam contra Zenonem insurrexerit. Quae apud Ioannem exstant, omnia ex tertio Candidi libro exscripta sunt, quippe quae ad ipsam insurrectionem pertineant. Quae vero ab Eustathio inter causas belli numerantur, omnia ad annos 478 et 479 pertinere et falso ad hoc bellum a. 484 exortum relata esse supra demonstravimus. Itaque de causis odiorum nihil omnino constat. Ad seditionem vero palam movendam Illus ea re concitatus est, quod Zeno ab eo Longinum depoposcit [3]. Is enim, frater Zenonis, ab Illo nescio qua causa inde ab anno 475 in custodia erat habitus [4]. Simul Zeno Illum munere suo movit et loco eius Ioannem Scytham magistrum officiorum fecit. Deinde asseclae Illi Constantinopoli pulsi et bona eorum oppidis Isauricis dono data sunt [3]. Nam multum intererat, utrum Isauri imperatoris an Illi partes sequerentur. Itaque Illus ipse in Isauriam se contulit, palam insurrexit, Marcianum e custodia liberavit, terra marique bellum contra Zenonem paravit. Atque ut etiam externos imperii hostes partibus suis conciliaret, legatos ad reges Persarum atque Armeniorum et ad Odovacarum, regem Italiae, misit. Illi, si quis ad ipsos veniret, auxilia se laturos esse promiserunt, Odovacar auxiliari se non posse praecise declaravit [5]. Contra Zenoni contigit, ut complures Isaurorum proceres sibi adiungeret. Commovit Cononem, Fusciani filium, qui in ordinem ecclesiasticum transierat, ut denuo

---

[1] J. A. fr. 211 § 4 haec narrat post seditionem Marciani, ante mortem Theodorici. [2] J. fr. 212. [3] J. fr. 214 § 1. [4] Marcellin ad 485. [5] J. fr. 214 § 2.

arma sumeret. Atque exercitui Lingim, fratrem Illi spurium, praefecit [1]). Haec ab Ioanne tradita sunt. Conon haud dubie est ille episcopus Apameae, Isaurus natione, qui postea cum Isauris contra imperatorem Anastasium pugnavit [2]). Lingis autem certe idem est cum Lilingi, quem Marcellinus (p. 303) commemorat, et cum Ninilingi, quem a Zenone Isauriae praefectum esse Theophanes (p. 213) refert. Non defuerunt igitur Zenoni in ipsa Isauria sectatores. Illus vero Verinam Augustam e custodia Tarsum deduxit, regia purpura denuo induit compulitque, ut Leontium, virum humiliter Dalasindani natum, imperatorem renuntiaret [1]). Si Theophani (p. 198) fides habenda est, Leontius, natione Syrus, litterarum disciplina et bellandi arte praestantissimus, ad praefecti Thraciae et patricii honores ascenderat. Discrepat autem Theophanes (p. 201) ab Ioanne ea re, quod non Dalasindanum, sed Chalcidem, Syriae oppidum, patriam Leontii appellat. Leontius igitur, simulatque imperator renuntiatus est, munera publica et largitiones inter sectatores suos distribuit [1]). Lilianus quidam praefectus praetorio factus [3]), Pamprepius, Illi familiaris, magistri dignitate ornatus est [4]). Verina autem ad Antiochenos Syros et omnes Orientis, Aegypti et Libyae praefectos litteras misit, ut Leontium imperatorem agnoscerent. Ab ipsa enim Leone marito mortuo ad rempublicam constituendam Zenonem imperatorem esse renuntiatum; nunc vero, cum illo regnante respublica ad deterius inclinasset, ab ipsa loco eius Leontium esse substitutum. Quibus litteris acceptis Antiocheni Leontium imperatorem exceperunt [5]). Atque in his quidem rebus Ioannes et Theophanes consentiunt. Contra Iordanis [6]) Leontium a Zenone contra Illum rebellantem esse missum, deinde vero ad Illi partes transiisse scribit. Liberatus [7]) autem vice versa Illum contra Leontium rebellantem missum esse narrat. Quare Tille-

---

[1] J. fr. 214 § 2. [2] Eustathius apud Euagr. III, 35; Theoph. p. 213 cfr. Mueller ad Capiton. Lyc. fr. 5. [3] Theoph. p. 201. [4] sic eum inde ab hoc tempore appellat Theoph. p. 201. [5] Theoph. p. 199, 200. [6] de regnor. success. p. 240 a. [7] ut a Tillemontio disco. Liberati diaconi breviarium causae Eutychianae mihi non praesto erat.

montius (VI, p. 512) in eam sententiam deductus est, ut Leontium ante Illi in orientem discessum rebellasse et a Verina imperatorem factum esse, Illum deinde cum Leontio arma coniunxisse scriberet. Sed Candidi et Eustathii consensu constat Leontium Illi auctoritate excitatum, Illi beneficiis esse provectum.

Quae inde ab hoc tempore quo ordine gesta sint, difficile est explorare, quia apud nullum auctorem continua omnium rerum enarratio exstat. Singulae tantum res tam abrupte memoriae traditae sunt, ut quomodo inter se cohaereant, raro liqueat. Georgius Codinus [1]) nobis auctor est Illum prope Antiochiam collectis septuaginta milibus militum Longino, magistro et fratri Zenonis, tantam cladem intulisse, ut is vix solus salvus Antiochiam effugeret. Tillemontius (VI, p. 572) Longinum hac clade affectum esse, antequam Leontius Antiochiam introiret, propterea statuit, quod Longinus Antiochiam fuga non petiisset, si ea urbs etiamtum in manibus hostium fuisset. Sed hoc argumentum per se lubricum ea re infirmatur, quod Ioannes omnes res inde a primordiis seditionis usque ad Leontii introitum in Antiochiam uno tenore enarrat neque tamen cladis illius mentionem facit. Id unum ex Codino apparet victoriam Antiochenam Illo contigisse, antequam ipse clade affectus in Papurium castellum confugeret. Inde autem, quod Theophanes (p. 204) Illum quattuor annos in Papurio castello obsessum esse scribit et Marcellinus (p. 301) traditionem castelli ad a. 488 refert, colligendum est Illum non post ineuntem annum 485 clade affectum esse. Victoriam igitur de Longino, utpote clade sua anteriorem, Illus ante ineuntem annum 485, post mensem Iunium anni 484, quo mense Antiochiam intravit [2]), reportasse putandus est.

Magis etiam lubrica est quaestio, quinam ille Longinus fuerit. Codinus [1]) eum magistrum et fratrem Zenonis nominat. At Marcellinus (p. 301) auctor est hunc fratrem Zenonis anno demum 485 e decennali custodia, in quam Illus eum coniecerat, liberatum Constantinopolim pervenisse. Quare

---

[1] de aedific. Constantinop. p. 84 ed. Bonn. [2] Theoph. p. 201.

suspicio oritur alium Longinum a. 484 a Zenone contra Illum esse directum. Sane quidem narrat Theophanes (p. 201) Longinum, Zenonis fratrem, et eius matrem ab Illo et Leontio, antequam Antiochiam se conferrent (ergo anno 484), e custodia esse liberatos. Sed matrem Zenonis ab Illo in custodia habitam esse neque alioqüin traditum neque per se verisimile est. Et fratrem Zenonis ab ipso Illo liberatum esse propterea non est credendum, quia Ioanne (fr. 214 § 1) teste Illus ea re ad seditionem contra Zenonem concitatus est, quod Zeno hunc fratrem ab Illo depoposcit. Exstiterunt autem complures Longini. Ab altero et eo quidem fratre Zenonis Theophanes[1]) alterum cognomine magistri, tertium cognomine Selinuntii distinguit. Cum Longino magistro idem esse videtur Longinus Cerdamanus, quem Ioannes (fr. 214 § 6) item magistrum appellat. Itaque reputanti mihi fratrem Zenonis nusquam magistrum appellari, suspicio oritur hunc a Codino confusum esse cum Longino Cerdamano. Is igitur anno 484 apud Antiochiam ab Illo est devictus. Qua cum victoria cohaerere videtur, quod Theophane (p. 201) teste Leontius Antiochia digressus Chalcidi oppido bellum intulit.

Clade Longini Zeno ad bellum maiori vi gerendum concitatus esse videtur. Ac primum quidem Theodoricum (magnum), ducem Gothorum, consulem eius anni (484) cum multitudine Gothorum in Isauriam direxit. Sed ille vix Nicomediam advenerat, cum a Zenone de fide eius male suspicato revocatus est. Loco eius imperator Hermanarichum, filium Asparis, cum manu Rugorum terra in Isauriam misit. Simulque mari classem contra Illum direxit ducibus Ioanne *τῷ κατὰ Βασιλίσκον* et Paulo sacellario eius, homine libertino[2]). Quomodo illi rem gesserint, apud Ioannem non legitur. Codinus[3]) autem narrat post cladem Longini Ioannem patricium cognomine *Κυρτόν* cum Scythis et Macedonibus a Leone missum esse et apud Seleuciam tantam de Illo victoriam reportasse, ut is in castellum quoddam confugeret.

---

[1] p. 210, 211, 214, 216 ex Eustathio; cfr. Euagr. III, 35 et Zonar. III, p. 260. [2] J. fr. 214 § 4. [3] de aedific. Const. p. 84.

Ioannes ὁ Κυρτός haud dubie idem est cum Ioanne τῷ κατὰ Βασιλίσκον, quem noster (fr. 214 § 1, § 7) hoc cognomine ab Ioanne Scytha distringuit. Eustathius [1]), ubi seditionem Isaurorum contra Anastasium motam enarrat, ambos illos Ioannes exercitibus imperatoris praefuisse refert, in seditione Illi narranda [2]) Ioannem Scytham solum commemorat. Sed ambos illos Ioannes etiam contra Illum pugnasse testimonio nostri constat referentis Illum ab Ioanne Scytha esse obsessum [3]). Ioannes igitur ὁ Κυρτός victoriam Seleucinam reportavit, Ioannes Scytha postea ab imperatore in bellum missus esse videtur.

Neque acuratius Eustathius [4]) tradidit, simul cum Ioanne Scytha Theodoricum contra Illum missum esse, deinde vero, cum Illus et Leontius stricta obsidione premerentur, Ioanne Scytha relicto ipsum ad Zenonem revertisse. Unde hic Eustathii error ortus sit, ab Ioanne Antiocheno docemur. Is enim auctor est ipsum Theodoricum a Zenone revocatum esse, simulac Nicomediam advenisset (fr. 214 § 4), multitudinem eius tum demum revocatam esse, cum Illus in castellum fugatus obsidione premeretur (fr. 214 § 6). Multitudo igitur, quam Theodoricus collegerat, diutius ispo in bello perseveravit [5]) et victoriae Seleucinae interfuit. Ita apparet, cur Liberatus [6]) cladem Illi Valamerianis, id est Gothis Theodorici, tribuat et Codinus [7]) Ioannem τὸν Κυρτὸν cum Scythis vicisse scribat. Eustathius autem revocationem Theodorici cum revocatione multitudine eius confudit.

Comprehendamus igitur paucis, quae exploravimus. Postquam Zeno complures Isaurorum proceres partibus suis conciliavit, Illus, ut speciem bonae causae sibi adiungeret, Verinae opera Leontium quasi legitimum imperatorem Zenoni opposuit eaque re Antiochenos et alios sibi conciliavit.

---

[1] Euagr. III, 35; Theoph. p. 213. [2] Theoph. p. 201. [3] fr. 214 § 1, § 7. [4] Theoph. p. 203; Euagr. III, 27. [5] his rebus apparet, quam recte H. de Sybel, Entstehung des deutschen Königthums, p. 172 iudicaverit: Theodorich war »durchaus ein römischer Feldherr, der eine Menge einzelner Deutscher zu einem römischen Heere vereinigte«. [6] ut a Tillemontio disco. [7] de aedific. Const. p. 84.

Deinde in Chalcide oppugnanda occupatus exercitum Zenonis, quem Longinus Cerdamanus oppido auxilio duxit, apud Antiochiam fudit ac fugavit. Qua victoria multi concitati sunt, ut a Zenone deficerent [1]). Tum imperator terra marique maiores copias paravit. Quo facto Illus ingenio Ioannis *τοῦ Κυρτοῦ* et fortitudine Gothorum apud Seleuciam ita devictus est, ut in castellum quoddam confugeret. Haud scio an hac victoria Longinus, frater Zenonis, e custodia liberatus est.

Castellum illud a Theophane (p. 201, 203, 204) et Marcellino (ad 488), Papurium sive Papyrium nominatur, ab Ioanne (fr. 214 § 5) *Χέρρεως φρούριον*. Verisimile est ab omnibus idem castellum esse significatum. Sed si haec nomina ad diversa castella spectant, non dubito, quin Ioanni, utpote qui Candido Isaurico usus sit, maior fides iniungenda sit quam Theophani, qui ex Eustathio, scriptore levissimo, hausit, praesertim cum is nullum alium castellum Isauricum praeter Papurium cognoscere videatur. Nam etiam Dalasindano castello [2]), in quod Verina relegata erat, Papurium [3]) substituit.

Ioannes [4]) igitur auctor est Illum clade affectum ad Cherreos castellum animum oculosque advertisse. Ac primum Illus castellum omnibus rebus instruxit et Asteriam coniugem, Verinam et Leontium eo misit. Qua re pervulgata ii qui copiis Illi praeerant, perterriti in proximum quisque castellum confugerunt. Magna pars militum ad imperatorem defecit. Ex iis, qui in fide perseverabant, Illus duo milia electorum in Cherreos castellum duxit, ceteros in diversas eius regionis speluncas diffugere iussit [5]). Hoc nuntio allato Zeno Cottomenem magistrum utriusque militiae et Longinum Cerdamanum magistrum fecit. Multitudinem Theodorici a bello revocavit, contra Rugorum manum in obsidione Illi perseverare iussit [6]).

Inde ab eo tempore, cum Cherreos castellum stricta

---

[1] Procop, de aedific. III, 1. [2] J. fr. 211. § 2. [3] Theoph. p. 199. [4] fr. 214 § 5 prima huius excerpti verba e cohaerentia abrupta non intellego. [5] J. fr. 214, § 5. [6] J. fr. 214, § 6.

obsidione premeretur, Illus a fortuna derelictus est. Post nonum obsidionis diem Verina, triginta diebus post Marsus, Illi amicus, e vita excesserunt. Illus, animo fractus, ipse litteris se dedidit, castellum defendendum Indaco Cottunae permisit. Leontius ieiuniis et lamentis tempus trivit. Minime mirum, quod talibus ducum moribus animi militum labari coeperunt et anticastellum per proditionem in manus obsessorum venit [1]). Tum vero ex inopinato novi socii Illo exstiterunt.

Eodem tempore (487 [2])) et Theodoricus animum a Zenone abalienavit magnaque cum manu ex Moesia in Thraciam irruit et Odovacar, rex Italiae, Illo auxilio venire paravit [3]). Ambo societatem inter se iunxerant ad imperium Romanum ditionis suae faciendum [4]). Sed Zeno hostes dissociando alterum alterius opera coercuit. Ac primum Rugos contra Odovacarum excitavit [5]), tum postquam ille superior e bello discessit, Theodorici animum sibi reconciliasse et ad Italiam intendisse videtur. Sic statuenti apparet, cur Odovacar Rugis devictis partem spoliorum Zenoni mittere festinavit [3]). Edoctus de societate inter imperatorem et Theodoricum restituta, ne quam speciem iuris molitionibus eorum praeberet, in amicitiam imperatoris redire contendit.

Ita Illus hac spe destitutus est. Obsessores autem anticastello potiti omnes vires ita intenderunt, ut Illus cum Ioanne Scytha, qui illis praeerat, collocutus cum imperatore pacisci conaretur [3]). Quid deinceps secutum sit, apud Ioannem non legitur. Itaque Eustathium [6]) quamvis cunctanter in auxilium vocamus. Hoc auctore Illus obsidionem tam diu tolerabat sperans Trocundum fratrem, quem ad copias inter barbaros colligendas miserat, auxilia sibi laturum. Postquam Trocundus ab Ioanne Scytha captus atque inter-

---

[1] J. fr. 214 § 6. [2] J. fr. 214 § 7 haec ad a. 486 (consule Longino) refert; sed bellum Gothicum a Marcellino, bellum Rugicum ab Anonymo Cuspin. et Cassiodoro ad a. 487 refertur. [3] J. fr. 214 § 7. [4] Ioannes in excerptis Escural. v. supra p. 2. [5] ex Ioanne (fr. 214, § 7) solo apparet, unde bellum Rugicum ortum sit; ceteros auctores composuit Pallmann, Gesch. d. Völkerwanderung II, p. 387. [6] Theoph. p. 201, 204.

fectus est, Illus a Pamprepio per quattuor annos seducebatur. Comperto tandem Trocundi exitu Pamprepium de muris praecipitavit. Obsidione quattuor annorum exantlata denique proditione fratris uxoris Trocundi, quem Zeno ad hunc finem miserat, unacum Leontio captus et decollatus est. Quid veri et quid falsi huic narrationi insit, omnibus aliis fontibus orbati dignoscere non possumus. Id tamen consensu Ioannis, Theophanis et Codini constat, Illum non tam armis quam dolo esse debellatum (488 [1]).

Atque haec a me exposita sunt, ut intellegatur, quid Ioannes ad cognitionem rerum saeculi quinti aerae nostrae conferat. Quae vero de rebus Anastasii posteriorumque imperatorum habet, non possunt perlustrari, antequam omnia his de rebus fragmenta e bibliothecarum umbraculis in lucem prolata sint.

---

[1] Marcellin p. 302.

Vita Adolfi Koecher.

Natus sum Dardeshemii in oppidulo prope Halberstadium sito, ultimo die anni h. s. XLVIII, patre Eduardo matre Karolina e gente Heiligenstaedt, quam matura morte mihi abreptam esse pervalde doleo. Fidei adscriptus sum evangelicae. Absoluta institutione puerili a. LX gymnasium adii Halberstadense, tum Schmidio directore florens, ubi per septem et dimidium annos liberalibus artibus sum institutus. Inter praeceptores nominandi mihi sunt Passow, Richter, Bormann. Vere a. LXVIII universitati litterarum Berolinensi adscriptus sum, autumno eiusdem anni Vindobonam me contuli, ubi per bis sex menses commoratus sum. Deinde Bonnam petii historicis celebratam ibique per quattuor semestres studiis incubui et seminarii regii historici sodalis fui ordinarius. Docuerunt me: Droysen, Jaffé, Lorenz, Schaefer, Sickel, Springer, de Sybel, Varrentrapp historici Beseler et de Stinzing iuristae; Meyer philosophus; Bernays, Hoffmann, Kirchhoff, Vahlen philologi; Birlinger, Diez, Scherer, Simrock germanici; Mussafia romanicus; Friedrichs et Lützow archaeologi. Quos viros omnes optime de me meritos esse grato semper animo profitebor. Praecipuam vero gratiam debeo Theodoro Sickel, amitino carissimo, Arnoldo Schaefer, Henrico de Sybel, qui mihi et studiorum principes et consiliorum adiutores exstiterunt.

Sententiae controversae.

I. Non assentior Droysenio Alexandrum magnum laudibus quam maximis efferenti.

II. Caesar iis litteris, quas Kal. Jan. 49 a. Ch. consulibus tradidit, a senatu postulavit, »ne sibi beneficium populi adimeretur aut ut ceteri quoque imperatores ab exercitibus discederent« (aliter Mommsen, röm. Gesch. III, p. 354, statuit).

III. Inepte Kaufmann (Forschungen zur deutschen Geschichte VI) iudicat foedus quod Wallia cum Romanis pepigerat, a Theodorico I esse solutum.

IV. Ex annalibus Ravennatibus hausta sunt, quae Theophanes refert ad annos 377, 380, 381, 400, 403, 404, 411, 412, 413, 415, 426, 448, 455.

V. Archicancellarii Arelatensis nomen et munera Karolo IV regnante, eo demum tempore, ad archiepiscopos Trevirenses translata sunt. Antea penes archiepiscopos Viennenses erant.

VI. Institutio historica ita est conformanda, ut sit quasi *προπαιδεία* rerum publicarum.

VII. Dissertationes historicas vernacula lingua scribendas esse censeo.

